AUTHOR:

KANTER, HERMANN

TITLE:

DE ARIADNE QUAE ET BACCHI ET...

PLACE:

BRESLAU

DATE:

1879

Master Negative #

93-81451-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG92-B39774          Acquisitions      NYCG-PT
Record 1 of 0 - SAVE record
+
  ID:NYCG92-B39774           RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:     AD:07-20-92
  CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?    MOD:    SNR:      ATC:      UD:07-20-92
  CP:cs      L:lat     INT:?    GPC:?    BIO:?   FIC:?     CON:???
  PC:s     PD:1879/             REP:?    CPI:?   FSI:?     ILC:????   II:?
  MMD:     OR:    POL:     DM:     RR:           COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC=|cNNC
  100 1    Kanter, Hermann,=|d1853-
  245 10   De Ariadne quae et Bacchi et thesei fertur coniux quaestionum particul
       a I=|h[microform].=|bDissertatio inauguralis mythologica quam...=|cHerma
nnu
       s Kanter.
  260      Vratislaviae,=|btypis S. Schottlaederi,=|c[1879].
  300      56 p.
  LDG      ORIG
  QD       07-20-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 6/2/93 INITIALS BE

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN
ENTRY: Kanter, Hermann

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

______ Page(s) missing/not available: ______

______ Volumes(s) missing/not available: ______

✓ Illegible and/or damaged page(s): up to p. 7

______ Page(s) or volumes(s) misnumbered: ______

______ Bound out of sequence: ______

______ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: ______

______ Other: ILL search exhausted

BEST COPY
AVAILABLE

CONTENTS

DE ARIADNE
QUAE ET BACCHI ET THESEI FERTUR CONIUX
QUAESTIONUM PARTICULA I.

DISSERTATIO INAUGURALIS MYTHOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

VIII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXIX. HORA XII.

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS KANTER.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

OSWALDUS MAY, DR. PHIL.
AUGUSTUS OTTO, CAND. PHIL.
JULIUS SELLGE, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS S. SCHOTTLAENDERI.

AUGUSTO ROSSBACH

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

SACRUM.

PROOEMIUM.

Ariadnen eximia fuisse apud veteres celebritate et nomine nsignesque fuisse quas egerit partes in Graecorum deorum eligione cum ea re perspicitur, quod fabula de Baccho, Theseo, riadne sexcenties a poetis scriptoribusque veterum est tractata, um artificum praeclarissimis operibus, quibus hic mythus epraesentatur et illustratur. Quod ne quis miretur hoc rimum tenendum est, a natura, qui est uberrimus fabu-rum fons, hunc mythum originem duxisse. Colebantur aturae vires, a quibus singulare quodpiam in homines bene-cium proficisci credebatur ac tanta erant auctoritate et digni-te, ut res ab ipsis gestae omnium in ore essent ac mirum modum amplificarentur. In horum numinum numerum riadne est referenda. Nullus fere mythus populo poetisque ratior erat, nullus videbatur aptior esse ad carmina pangenda. ua re factum est, ut hic mythus per omnes fere aetates ansformaretur, amplificaretur, depravaretur. Quae olim dea erat naturalis cuiusdam speciei atque Bacchi coniux, hanc ostea videmus virginem amantissimam eximiae venustatis a heseo in Diam insulam abductam, sed mox perfidiose relictam onsumque ereptum flebiliter conquerentem. Itaque cavendum rit, ne omnes quae extant de Ariadne fabulas pro genuinis abeamus, praesertim cum iam Plutarchus (Thes. 20) et Pau-anias (I. 3, 2), ne omnibus qui reperiantur mythis fidem abeamus, moneant. Quod quidem homines doctos non fugit tque quantum in his rebus explicandis ac rimandis operae tudiique collocatum sit quis est quin sciat? Nihilominus non

omnia adeo sunt explicata, ut in iis, quae reperta sunt a viris doctis, acquiescere possimus.

Nec vero nos iis, quae expositurі sumus, res adhuc plane ignotas prolaturi nobis videmur, sed id maxime agemus, ut scriptores veteres et recentes, ubi e re sit, secuti, antiquissimis testimoniis, quibus hic mythus exhibetur, recognitis mythum explanemus et quomodo factum sit, ut per omnes fere aetates mirum in modum cresceret atque immutaretur, demonstremus. Quo facto rebusque omnibus, quoad pertinent et ad scriptorum poetarumque reliquias et ad artis monumenta collectis atque compositis satis contenti erimus, si forte ad removendas difficultates pro virili parte contribuerimus.

Ac ne, cum larga sit disserendi materies, multa cumulante fines nostros egrediamur, nos priorem tantum partem disquisitionis nostrae ad fabulae cognitionem omnino necessariam quae pertinet ad scriptorum poetarumque reliquias, hoc loco complectemur. Qua de causa nihil exoptatius nobis debet esse quam ut postea, si vita suppetat, alteram partem, quae arti monumenta amplectetur, emittamus atque doctrina instructiore rem propositam accuratius ac plenius retractemus, obscura illustremus, manca suppleamus.

Scribebam Vratislaviae mense Aprili anni MDCCCLXXIX

CAPUT I.

DE MYTHI ANTIQUITATE.

§ 1.

Iuvat et magnas affert utilitates, quo facilius fabularum)nexus perspiciatur, originem mythi explicare atque ante ɔulos positam considerare. Mirum est neminem adhuc mythogorum antiquitatis testimonia, quae extant de hoc mytho, ı perscrutatum esse, ut pro certo haberi posset, utrum riadnes cum Theseo coniunctio an cum Baccho esset antiquior. urimi haudquaquam critice huius mythi fontes tractantes [1]) ıgulasque quae enarrantur de Ariadne fabulas enumerantes mino non in hanc rem inquirunt, alii, quorum in numero t Gerhardius [2]), Ariadnen tum demum cum Baccho sese niunxisse putant, cum a Theseo fuerit relicta [3]). Qui cum ɛrhardio faciunt, fabulae quasi fontem Homeri Od. XI. 321 sqq. se putant. Quam sententiam tantum abest ut probemus, eam maxime impugnandam censeamus.

Nos disquisitionem nostram de hac re ita instituemus, ut imum de Ariadnes cum Baccho coniunctione dicamus, quam se antiquissimam apparebit. Proximum est, ut de Ariadne, ıesei coniuge, disseramus, quae fabula postea tanta erat

[1]) Hanc mythorum explicandorum rationem perversam esse neque proıdam cum alii tum Flachius (die Hesiod. Theog. p. 132) monent.

[2]) Archäolog. Zeitung 1859 p. 109.

[3]) Hanc fabulae formam ex scriptoribus Atticis haustam atque ab his ventam esse, in sequentibus demonstrabimus.

auctoritate et suavitate, ut priorem fabulae formam conturbare ac confunderet.

Quod ad Bacchum deum attinet, eius cultum apud Graeco non multo antiquiorem esse quam antiquissima quae ad nc pervenerint testimonia plurimi consentiunt. Aliorum deorui iam insignes fuisse quas egerint partes, quo tempore Homei carmina orta sint, ex carminibus ipsis perspicitur. Quae ver de Baccho in his carminibus narrantur, satis demonstran deum nondum esse eundem, quem postea apud Graecos cel bratum videmus. At cavendum nobis erit, ne cum scholiasta omnes Homeri locos ad Bacchi religionem spectantes spuric esse statuamus. Ut de ceteris locis taceamus, quis illo Iliad loco [2] a nullo adhuc in dubium vocato deum esse Bacchu negabit? An propterea cum Lehrsio [3] non deum esse Bacchu apud Homerum faciamus, quod nullo loco Homerus Bacch vini inventionem tribuit?

Hoc quidem constat ab Homero, quamvis frequentem inici vini mentionem, nusquam aperte confirmari Bacchum es inventorem [4]. A Thracibus Bacchi cultum in Graeciam intr ductum esse viri docti consentiunt [5]. Veterum scriptorum hac re nuntii non sunt ita comparati, ut eorum auxilio u certa specie deum comprehendere possimus [6].

---

1) ad Il. VI 132.

2) VI 132 sqq.

3) de Aristarchi studiis Homericis p. 182.

4) Optime Nitzschius (Anmerk. zu Hom. Odyssee III p. 42) de h re verba fecit; nihilominus Naegelsbachius (Homerische Theologie p. 11 in eius sententiam abire videtur dubitare propter Il. VI 134 et XXII 46 quippe quod his locis thyrsorum iactationum Maenadumque facta sit ment

5) Hoeck: Creta III p. 175; Lobeck: Aglaophamus p. 290 sqq.; Gerhar Griech. Mythol. § 439; Welcker: Griech. Götterlehre I p. 425; Prelle Griech. Mythol. I p. 520; Wachsmuth: Die Stadt Athen im Alterthum p. 402; Hehn: Culturpflanzen und Hausthiere p. 65 sqq.

6) De difficultatibus, quibus tota omnino de Baccho quaestio implicatu quae Diodorus III 62, 2 exhibet sunt conferenda:

Τῶν δὲ παλαιῶν μυθογράφων καὶ ποιητῶν περὶ Διονύσου γεγραφότων ἀλλή λοις ἀσύμφωνα καὶ πολλοὺς καὶ τερατώδεις λόγους μεταβεβλημένων δυσχερές ἐσ ὑπὲρ τῆς γενέσεως τοῦ θεοῦ τούτου καὶ τῶν πράξεων καθαρῶς εἰπεῖν κ. τ. λ.

Non huiusce est loci, qualis fuerit apud Thraces Bachi cultus c quomodo dei cultus mox ad Graecos deductus sit, demonstrare, praesertim cum iam alii optime de hac re disputaverint [1]) Ioc unum constare videtur atque ex ipsis Homeri carminibus spicitur [2]), praeter ceteras terras Thraciam et Bacchi cultu oruisse et vino abundasse; unde facile cognosces, Bacchum t alibi etiam apud Thraces vini inventorem fuisse. Erat Bacchus ut genius totius naturae ita imprimis vini inventor. taque etiam apud Graecos, cum a Thracibus eius cultum recessent, deum eadem specie ac natura fuisse [3]), quis est qui eget? Nam quod in Homericis carminibus huius rei mentio on est facta, hoc minime demonstrat, ignotum fuisse poetae acchum. Cum Bacchus inter chthonios qui vocantur deos eferendus sit, de perrara eius in poesi heroica commemotione haudquaquam mireris [4]). Plane probanda mihi videntur esse, quae Rossius [5]) praeeuntibus Welckero et Prellero exposuit. Dicit enim, omnibus diis, quorum apud Homerum creberrima facta sit mentio, priore tempore naturalem fuisse quandam speciem eosque postea demum decentiorem habitum ac colorem adeptos esse, quo nobili bellicosaeque Achivorum stirpi convenirent. Chthonios vero deos, quippe cum ab illorum moribus alieni fuissent mutationemque ferre non potuissent, vel obscuratos esse vel expulsos. Itaque, ut supra dixi, nihil impedit, quominus Bacchi cultum quo tempore Homeri carmina panerentur apud Graecos iam notum fuisse credamus. Neque men deus tanta erat celebritate quanta alii dii, id quod etiam

---

1) Lobeck: Aglaopham. p. 289 sqq.; Voelcker: Phil. I p. 191 sqq. puren nicht hellenischer Götterculte bei Homer); Welcker: Griechische ötterlehre I p. 424 sqq.; Ross: de Baccho Delphico p. 13; Deimling: Die eleger p. 63 sqq.; Hehn l. l. p. 63 sqq.

2) Pereleganter Hehnius l. l. p. 65 in hunc modum disputat.

3) Osannus in Mus. Rhen. t. III p. 241 sqq. (Oenopion und seine ppschaft) in eandem abit sententiam.

4) Demonstrat recte Prellerus (Griech. Mythologie I p. 523), quibus fficultatibus de origine atque aetate chthoniarum religionum quaestio nplicetur.

5) l. l. p. 15 not. 4.

aliis ex causis perspicitur. Herodoti enim extat testimoniun Bacchum inter novissimos Graecorum deos esse numerandum [1] Ne illud quidem videtur praetermittendum esse, de qu Rossius [2]) disputavit, ab initiis ac primordiis religionis Bac chicae Graecos ut ab immani ac barbara magnopere abhorrui Iam ut repetam, Bacchi sacra heroicis temporibus, quan inferiorem obtinerent locum, Graecis nota fuisse pro cer affirmare possumus. Neque Homero neque theogoniae [3]) scriptor ut de Hesiodi fragmentis taceamus, ignotus fuit hic deus.

Cum Bacchi religio in Graecia propagata esset, praet ceteras Graeciae terras maris Aegaei insulae dei cult florebant [4]). Imprimis Naxus [5]) insula dei sacra putab

---

1) Herod. II c. 145: ἐν Ἕλλησι μέν νυν νεώτατοι τῶν θεῶν νομίζονται εἶ Ἡρακλέης τε καὶ Διόνυσος καὶ Πάν. e. q. s. cfr. ea, quae Petersenius (D Zwölfgöttersystem der Griechen I p. 9) disseruit.

2) l. l. p. 14 not. 4.

3) theog. 947 sqq.: Χρυσοκόμης δὲ Διώνυσος ξανθὴν Ἀριάδνην, Κούρην Μίνωος, θαλερὴν ποιήσατ' ἄκοιτιν. Τὴν δέ οἱ ἀθάνατον καὶ ἀγήρω θῆκε Κρονίων. In sequentibus ad locum redeuntes quae ei sit fides habenda demonstrabimus. De Bacchi in Homericis carminibus commemoratione iam supra diximus.

4) C. Fr. Hermann: Gottesdienstliche Alterthümer § 65, 11; Preller: Griech. Mythologie I p. 557; Gerhard: Griech. Mythologie § 444.

5) Thraces dei cultum in insulam transtulisse extra omnem positum videtur esse dubitationem. De insulae nominibus fusius dicam necesse est. Compluria enim — id quod multis urbibus et insulis contigit — nom insulae extant. Vetustissimum insulae nomen ‚Strongyle' videtur fui (Plin. nat. hist. IV 67; Schol. Apoll. Rhod. IV 424: fragm. Andr Panormitani apud Parthen. erot. 19. cfr. fragm. hist. Graec. IV p. 3 fragm. 2). Tum haec reperiuntur nomina: ‚Dia' (Plin. l. l.; Schol. Ap Rhod. l. l.) ‚Naxus' (Plin. l. l.; Schol. Apoll. Rhod. l. l.; Hom. Odyss. 325; Schol. Theocr. II 46; Diod. IV 61, 4; Parthen. erot. 19; Steph. B s. v. Νάξος; Etym. Magn. s. v. Δία); ‚Dionysias, Sicilia parva, Callipol (Plin. l. l.); cfr. Bursian: Geographie von Griechenland II p. 491; Eng Quaest. Naxiae p. 8 sqq. Dia vocitata est insula ab Oto et Ephialte Th cibus, qui vetustissimos insulae incolas vicerant (Diod. V 51, 2). Q nomen aeque atque ‚Dionysias' ad Bacchi cultum referendum esse in niose Bursianus l. l. II p. 49 not. 2 suspicatur. Ceterum nominis D plures fuerunt insulae (cfr. schol. Theocr. II 46), quarum duae ad disq sitionem nostram pertinent. Altera est insula, quae postea Naxus no

tur [1]), quem quamquam multae urbes sibi vindicant [2]), tamen in Naxo insula natum et enutritum esse longe plurimi perhibent [3]). Sed etiam creberrima eaque certissima Bacchici cultus vestigia in Creta insula reperiuntur neque est negandum iam tum Ariadnen cum Baccho coniunctam fuisse.

Maximi momenti et ponderis ad hoc certe diiudicandum eorum testimonia debent esse, qui res Creticas conscripserunt. Et extat eiusmodi testimonium, quod Hyginus [4]) nobis tradidit. Adde locum Iliadis [5]) haudquaquam suspectum, unde horum numinum cultu hanc insulam abundasse cognosces. Theogoniae praeterea scriptoris testimonium non praetermittendum est ad antiquissimam Bacchi et Ariadnes coniunctionem enucleandam maxime idoneum [6]). Sunt enim hi versus ad sententiam, quam protuli firmandam aptissimi. Dissentiunt sane viri docti de his versibus propter scholiastae adnotationem [7]). Longum est

---

nabatur, quod nomen a Naxo, Carum rege, acceperat (Diod. V 51, 3; Schol. Odyss. XI 325; Schol. Theocr. II 46; Schol. Apoll. Rhod. IV 424); altera haud procul a Creta insula sita est (Plin. nat. hist. IV 61; cfr. Kiepert: Topogr. histor. Atlas von Hellas p. 21; Bursian l. l. p. 560 not. 3). Hanc insulam a veteribus scriptoribus persaepe cum Naxo confusam fabularum de Ariadne genuinam fuisse sedem recte monent Bursianus l. l. p. 560 et alii viri docti.

1) Diod. V 52, 1; Athen. III 781; Schol. Hom. Od. XI 325; Porphyrius philos.: de autro nympharum 19; Verg. Aen. III 125; Lact. inst. div. I 15; Mythogr. Vat. I 122; Isid. orig. VIII 11, 2; XIV 6, 36; cfr. Eckhel: doctr. num. vet. II p. 40.

2) Diod. III 66, 1 sqq.; cfr. Preller: Griech. Myth. I p. 548 not. 3.

3) Diodorus V 52, 1 sqq. varias Naxiorum do Baccho fabulas promit; conferenda sunt, quae Prellerus (Griech. Myth. I p. 557) disputat.

4) Astron. II 5: sed ut ait qui Cretica conscripsit, quo tempore Liber ad Minoa venit, cogitans Ariadnen comprimere, hanc ei coronam muneri dedit e. q. s. cfr. Ribbeck: Entwickelung des Dionysoscultus in Attika p. 5. His simillima sunt verba scholiastae ad Claud. Caes. Arati Phaen. v. 71.

5) XVIII 590: Ἐν δὲ χορὸν ποίκιλλε περικλυτὸς ἀμφιγυήεις
τῷ ἴκελον οἷόν ποτ' ἐνὶ Κνωσῷ εὐρείῃ
Δαίδαλος ἤσκησεν καλλιπλοκάμῳ Ἀριάδνῃ.

6) Theog. 947—949: Χρυσοκόμης δὲ Διώνυσος ξανθὴν Ἀριάδνην
κούρην Μίνωος θαλερὴν ποιήσατ' ἄκοιτιν.
Τὴν δέ οἱ ἀθάνατον καὶ ἀγήρω θῆκε Κρονίων.

7) ἀθετοῦνται ἐφεξῆς στίχοι ἐννέα κ. τ. λ.

hoc loco de omnium coniecturis vel huius loci explicationibus verba facere, Gerhardii [1]), Rottii [2]) Paleyi [3]) Flachii [4]), Peterseni [5]) Schoemanni [6]). Longe optima de his versibus quantum equidem video Schoemanni sententia videtur esse, praetereunte Hermanno [7]) existimantis, non subditicios esse versus, sed scholiastae signum numerale β abiisse in Θ, unde nata sit vulgaris scriptura ἐννέα [8]). Sive igitur genuinos esse hos versus cum Schoemanno tibi persuasum est, sive postea eos additos esse putas, hoc certe non negabis, hanc mythi formam non ex Atticis fontibus fluxisse, attamen prius ortam esse quam Athenienses ad alios quos in Theseum cumulaverant honores etiam eius cum Ariadne nuptias addiderint. [9]) Ac ne quis forte credat Hesiodi loco propterea fidem non habendam esse, quod paucis tantum versibus Bacchi facta sit mentio, haec ipsa res Hesiodi nuntium esse vetustiorem quam vulgo credatur demonstrat. [10])

Plurima, quae ad Bacchi et Ariadnes coniunctionem spectant, Prellerus [11]) et Hoeckius [12]) publici iuris fecerunt; quae si recte cognoveris atque animo perpenderis eo facilius quomodo factum sit intelleges, ut Ariadnen iam antiquissimis temporibus cum Baccho coniunctam celebrarent.

---

1) edit. theog. Hesiod. adnot. ad l.

2) de interpolatt. theog. Hesiod.

3) in Koechlyi Kinkeliique edit. theog. praef. p. XXXIV.

4) Glossen u. Scholien zu Hes. theog. p. 106 sqq.

5) Ursprung und Alter der Hes. theog. p. 15.

6) Opp. Acad. II 55 not. 88; 422 sqq.; 496; 532 et edit. theog. Hes. p. 269 sqq.

7) Zimmermann'sche Schulzeitung 1833 p. 926.

8) Hanc permutationem non raram esse nemo negabit. Complura affert Schoemannus Opp. Acad. II 423.

9) Fusius postea demonstrabo Athenienses nihil antiquius habuisse, quam ut Theseum quacunque ratione possent celebrarent.

10) Conferenda sunt quae in antecedentibus de perrara Bacchi dei in poesi heroica commemoratione disserui.

11) Archäolog. Zeitung 1855 p. 11 sqq.

12) Creta III p. 177 sqq.

§ 2.

Videamus nunc, id quod maxime ad disquisitionem nostram facit, quo tempore de Thesei et Ariadnes amoribus fabula orta sit.

Recentiorem eam esse quam Ariadnes Bachi coniugis cultum in maris Aegaei insulis notissimum inde colligendum est, quod nulla eius facta est mentio in Graecorum carminibus heroicis. Accedit, quod argumentis firmissimis demonstrare possumus, Athenienses ut Thesei nomen in carmina Homerica inferrent operam dedisse, id quod recentiorem fabulae originem certissime comprobat. Nam viri docti omnes fere consentiunt eos Homericorum carminum versus, quibus Thesei nomen commemoratur, spurios esse atque delendos. Fusius de Odyss. XI 321 sqq. [1]) verba fecerunt Nitzschius [2]), Lauerus [3]) probante O. Jahnio [4]), Muellerus. [5]). Neque inde ab horum virorum doctorum aetate defuerunt, qui in eandem abirent sententiam atque ansam tempusque interpolandi demonstrare conarentur. [6]) Nullum Odysseae librum tantopere interpolationibus obnoxium fuisse quantopere librum undecimum iam propterea mirum esse non potest, quod in enumeratione virorum et feminarum quamquam magnam partem ab ipso Νεκυίας conditore profecta facillime fieri potuit, ut alia et virorum et feminarum nomina germanis subiungerentur. [7])

---

1) Φαίδρην τε Πρόκριν τε ἴδον καλήν τ' Ἀριάδνην, Κούρην Μίνωος ὀλοόφρονος, ἥν ποτε Θησεὺς ἐκ Κρήτης ἐς γουνὸν Ἀθηνάων ἱεράων ἦγε μέν, οὐδ' ἀπόνητο· πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ Διονύσου μαρτυρίῃσιν.

2) Anmerk. zu Hom. Odyss. III p. 251 sqq.

3) De Odysseae libro XI p. 8.

4) Archäolog. Beiträge p. 271.

5) Homerische Vorschule p. 82.

6) Kirchhoff: Hom. Odyss. praef. p. XI et XVI; Haag: de recensione Pisistratea p. 38; Rehbronn: de Odysseae libro XI p. 20 sqq.; La Roche: Homer. Texteskritik im Alterthum p. 15; et Zeitschrift für österreich. Gymnas. 1863 p. 163; Lehrs: N. Rhein. Mus. XVII p. 499; Koechly: de Odysseae carminibus dissert. III p. 19 sqq.; Düntzer: Homer. Abhandlung. p. 11 et 139.

7) cfr. Ad. Herrmann: de XI Odysseae rhapsodia p. 9 sqq.

Fabulam de Theseo Homero ignotam fuisse optime iis demonstratur, quae Plutarchus [1]) sub finem Theseae vitae nobis tradidit, post Thesei mortem Athenis neminem eius mentionem fecisse. Qua re non credendum est quo tempore Homeri carmina confecta sint Thesei partes in iis tantas fuisse, quantae nunc esse videantur.[2]) Accedunt aliae causae eaeque gravissimae, quibus spurios esse versus, quos supra laudavi, demonstratur. Etenim non recte sese habet brevis littera o in Διονύσου, cum omnibus aliis locis apud Homerum forma Διώνυσος reperiatur [3]), qua etiam Hesiodum usum esse Theogon. vv. 941, 947, alii demonstrant. Deinde offendunt critici suo atque iusto iure in epitheto ὀλοόφρων. Iniuria enim Minos hoc loco ὀλοόφρων nominatur, cum aliis locis[4]) rex benignus atque iustus praedicetur. Scholiastae et interpretum inventa, quibus removerent difficultatem locumque tuerentur, quae collecta sunt apud Hoeckium [5]), Nitzschium [6]), Muellerum [7]) solo Plutarchi [8]) testimonio refutantur.

Plutarchus enim demonstrat, Minoem, quamvis Homericorum carminum versibus nempe genuinis atque ab Hesiodo [9]) summis fuerit elatus laudibus, tamen ab Atticis scriptoribus summa cum invidia castigatum esse. Qua re concessa unde illud ὀλοόφρων originem duxerit facile intellegemus neque

---

[1]) Thes. 35: Καὶ παραυτίκα μὲν οὐδεὶς ἔσχεν αὐτοῦ λόγον οὐδένα κ. τ. λ.

[2]) cfr. Müller: Hom. Vorschule p. 82. Homeri genuinis carminibus nullo loco rerum Atticarum mentionem factam esse, nedum Thesei et Ariadnes amoris, optime ex iis perspicitur, quae Thucydides, gravissimus ille testis II 41 Periclem loquentem facit: Καὶ οὐδὲν προσδεόμενοι οὔτε Ὁμήρου ἐπαινέτου, οὔτε κ. τ. λ.

[3]) cfr. Etym. Magn. s. v.

[4]) Odyss. XIX 178 et XI 568 sqq.

[5]) Kreta II p. 141.

[6]) l. l. III p. 551.

[7]) l. l. p. 85.

[8]) Thes. 16: Ἔοικε γὰρ ὄντως χαλεπὸν εἶναι φωνὴν ἐχούσῃ πόλει καὶ μοῦσαν ἀπεχθάνεσθαι. Καὶ γὰρ ὁ Μίνως ἀεὶ διετέλει κακῶς ἀκούων καὶ λοιδορούμενος ἐν τοῖς Ἀττικοῖς θεάτροις. Καὶ οὔτε Ἡσίοδος αὐτὸν ὤνησε βασιλεύτατον, οὔτε Ὅμηρος ὀαριστὴν Διὸς προσαγορεύσας. κ. τ. λ.

[9]) cfr. fragm. 84 (Lehrs.)

initiabimur, hos Odysseae versus interpolationem Atticam redolere.[1]) Adde quod apud Plutarchum[2]) Hereae cuiusdam testimonium habemus, quo Pisistratum, ut Atheniensibus blandiretur, ipsorum heroi celebratissimo in Homericis carminibus locum assignasse docemur. Qui versus reperitur Odyss. XI 631[3]).

De reliquis Homeri locis Thesei nomen exhibentibus, praesertim cum ibi Theseus cum Ariadne non sit coniunctus, non est, quod verba faciam. Ceterum repudiantur et hi versus ab omnibus criticis. Quae res cum ita sese habeat, mythum de Thesei et Ariadnes amore quo tempore Homeri carmina orta sint nondum extitisse est verisimillimum.

Nunc eorum est sententia examinanda, qui Hesiodo Theseam fabulam ad Ariadnen spectantem notam fuisse existimant. Nullo alio loco [4]) apud Hesiodum Ariadnes a Theseo desertae fit mentio, nisi, ut adhuc viri docti persuasum habent, duobus fragmentis. Alterum (fragm. 86 Lehrs.) ex Athenaeo (XIII p. 557) petitum hoc est: Ἡσίοδος δέ φησι καὶ Ἵππην καὶ Αἴγλην, δι᾽ ἣν καὶ τοὺς πρὸς Ἀριάδνην ὅρκους παρέβη, ὥς φησι Κέρκωψ. Alterum (fragm. 84 Lehrs.) reperitur apud Plutarchum [5]) (Thes. 20): Οἱ μὲν γὰρ ἀπάγξασθαί φασιν αὐτὴν ἀπολειφθεῖσαν ὑπό τοῦ Θησέως, οἱ δέ . . . . ἀποληφθῆναι δὲ τοῦ Θησέως ἐρῶντος ἑτέρας·

Δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηΐδος Αἴγλης.

---

[1]) cfr. Rehbronn l. l. p. 23.

[2]) Thes. 20: Τοῦτο γὰρ τὸ ἔπος ἐκ τῶν Ἡσιόδου Πεισίστρατον ἐξελεῖν φησιν Ἡρέας ὁ Μεγαρεύς· ὥσπερ αὖ πάλιν ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου νεκυίαν τὸ
,Θησέα, Πειρίθοόν τε, θεῶν ἀριδείκετα τέκνα'
χαριζόμενον Ἀθηναίοις. cfr. fragm. hist. Graec. IV p. 426.

[3]) cfr. Lehrs l. l. p. 499 et Duentzer l. l. p. 5.

[4]) Theogoniae versus 947 sqq. Ariadnen Bacchi coniugem celebrant atque ita sunt comparati, ut quo tempore theogonia orta sit Theseam fabulam nondum extitisse comprobent.

[5]) Ad idem carmen pertinet mea sententia et Athenaei et Plutarchi testimonium fortasse ex Aegimio petitum. Etenim cum iam veteres Aegimium modo Hesiodo (Steph. Byz. s. v. Ἀβαντίς; Athen. XI p. 503 D) modo Cercopi (Athen. XI p. 503 D) adscriberent, conicere licet, Athenaeum Cercopi Milesio tribuisse, quod Hesiodi esse Plutarchus persuasum habebat.

Prioris testimonii ratio nos adducit, ut ab Hesiodo quidquam de Ariadne a Theseo deserta scriptum esse negemus. Etenim non est dubitandum, quin Cercops, a quo haec mythi variatio profecta erat, Hesiodo opponatur.[1]) Quid porro de altero loco, quem supra laudavi, est iudicandum? In verbis Plutarchi varias huius fabulae narrationes promentis nihil me quidem iudice inest offensionis. Nihilominus mythologi et critici, quorum in numero est Lehrsius [2]), Plutarchi verba falso interpretati sunt. Lehrsius de ea re haec profert: Hesiodos hatte gesagt, von Theseus ward die Ariadne verlassen, weil ihn eine andere Liebe ergriffen e. q. s. Non recte iudicare videtur vir doctus, et miror ceteros in eandem abiisse sententiam. Minime enim quantum equidem video his Plutarchi verbis demonstratur Hesiodi aliquod carmen fabulam de Theseo et Ariadne continuisse. Plutarchus postea [3]) eadem refert: Theseum Aeglae amore captum Ariadnen deseruisse. Neutro vero loco scriptum est, ab Hesiodo Thesei in Ariadnen perfidiam traditam esse. Δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηΐδος Αἴγλης versum esse carminis cuiusdam, quod vulgo Hesiodo tribuebatur (cfr. p. 11 not. 5), non est quod negemus, augeturque huius sententiae fides Athenaei loco [4]) quem et ipsum Thesei et Aegles nuptias in carmine quodam Hesiodeo commemoratas non ignorasse videmus. Sed minime Hesiodei carminis auctor a Theseo relictam esse Ariadnen tradidit. Cavendum nobis erit, ne hoc cum aliis ex Plutarchi verbis colligendum esse putemus, qui hoc tantum refert: Varias esse de Ariadne fabulas, quippe cum alii sese suspendisse Ariadnen a Theseo relictam tradant, alii a nautis Naxum deportatam cum Oenaro, Bacchi sacerdote, matrimonio iunctam esse atque a Theseo relictam, quippe qui aliam amaret. Tum Plutarchus, ut causam

[1]) Rem ita sese habere iam Marckscheffelius (Hesiodi et. fragm. p. 159) intellexit.

[2]) De Aristarchi studiis Homer. p. 446; eadem reperiuntur in nov. mus. Rhen. t. XVII p. 499.

[3]) Thes. 29. Καὶ διὰ τὸν Αἴγλης ἔρωτα τῆς Πανοπέως, ὥσπερ εἴρηται, τὴν Ἀριάδνης ἀπόλειψιν αἰτιῶνται μὴ καλὴν γενέσθαι μηδὲ πρέπουσαν.

[4]) XIII p. 557 A: Ἡσίοδος δέ φησι καὶ Ἵππην καὶ Αἴγλην (scil. γῆμαι).

proferret, cur Theseus Ariadnen deseruisset, versum, quem supra laudavi, affert, ita tamen, ut totius loci ratio demonstrare videatur, Plutarchum ipsum hanc Thesei perfidiam Hesiodei carminis versu explicare studuisse. Et Plutarchum (Thes. 20) et Athenaeum (XIII p. 557 A.) versum ipsum Hesiodei carminis amorem Thesei et Ariadnes describentem laudaturos fuisse, si versus eiusmodi extitisset, negari non potest.

Ut ad Odysseae quem supra tractavi locum revertar, Athenienses Theseum Homericis carminibus laudatum voluisse mirum non est. Quae res quo facilius intellegatur paululum videtur illustranda. Sed nos quidem lineamenta tantum, quae spectant ad hanc rem, descripsisse hoc loco satis habebimus.

Thesei cum decessisset neminem Athenis mentionem fecisse auctore Plutarcho, iam supra monui. Nihilominus idem Plutarchus illud ‚Οὐκ ἄνευ Θησέως' in proverbium abiisse demonstrat [1]), quod Valerius Maximus [2]) imitatus haec declamat: ‚Detrahe Thesea Atheniensibus, nullae aut non tam clarae erunt Athenae'. Eo tempore Atheniensium animos et studia, quibus Theseum prosequerentur, longe alia fuisse, quam cum in parvulo scopulo Scyri insulae [3]) sepultus esse putaretur, quis est qui neget? Sed quomodo factum sit quaerat quispiam, ut Athenienses res a Theseo gestas per longum tempus oblivioni datas canendo, fabulando, fingendo subito celebrarent. Et idem Plutarchus respondebit.[4]): Cum Persae apud Marathonem ab Atheniensibus Plataeensibus solis adiuvantibus superati essent [5]), pii victores diis plus tribuentes quam suae ipsorum virtuti Theseum heroem cum armis pro Atheniensium

[1]) Thes. 29: Καὶ διὰ τοῦτο παροιμίαν εἶναι τὴν ‚Οὐκ ἄνευ Θησέως'. Αὐτὸν μέντοι μηδενὸς συμμάχου δεηθέντα πολλοὺς καὶ καλους ἄθλους κατεργάσασθαι. cfr. Zenob. V 33; Suid. s. vv. Οὐκ ἄνευ Θησέως.

[2]) Memorab. V 3.

[3]) Valer. Max. l. l.; Plut. Thes. 35.

[4]) Thes. 35: Χρόνοις δὲ ὕστερον Ἀθηναίους ἄλλα τε παρέστησεν ὡς ἥρωα τιμᾶν Θησέα, καὶ τῶν ἐν Μαραθῶνι πρὸς Μήδους μαχομένων ἔδοξαν οὐκ ὀλίγοι φάσμα Θησέως ἐν ὅπλοις καθορᾶν πρὸ αὐτῶν ἐπὶ τοὺς βαρβάρους φερόμενον.

[5]) Herod. VI c. 109 sqq.

salute contra hostes pugnavisse crediderunt. Jam si quis imaginem illam [1]) in pariete stoae, quae Poecile vocatur, a Pausania [2]) descriptam cum Plutarchi narratione comparare velit, statim intelleget, quanta fides Plutarchi verbis habenda sit, quantaque Thesei apud Athenienses gloria esse debuerit, qui heros armatus ex orco egressus pugnae fecerit discrimen.

Optime Heydemannus [3]) quomodo factum sit exponit, ut Thesei gloria inde ab illo tempore in dies cresceret. Imprimis Cimon Thesei venerationem cultumque, cum ossa eius Pythia iubente in Scyro insula reperta Athenas reportaret atque intra urbis moenia eius reliquias sepeliret, ita auxerat, ut praeter Herculem nullus fere heros maiore gloria afficeretur.

Quae cum ita essent, multos de Theseo rebusque ab ipso gestis scripsisse apparet. Optime de his rebus O. Jahnius [4]) et Heydemannus [5]) disseruerunt. Nihil exoptatius Atheniensibus debebat esse, quam ut vel Homericis carminibus Theseum celebratum viderent.

Quo tempore versus, qui Atheniensium laudi serviunt, in poesis Homericae textum irrepserint, pro certo affirmari nequit. Sunt sane quaedam ipsius antiquitatis testimonia, quorum auxilio interpolationis tempus rimari possumus. Huc spectat quod Hereas Megarensis [6]) tradidit, de quo iam supra verba feci. Dicit enim Odysseae XI v. 631 a Pisistrato vel ab eius adiutoribus interpolatum esse. Sed etiam alii extant loci, qui, quamquam veterum testimonio non damnantur, tamen ex eodem fonte videntur fluxisse. Collegerunt versus a Pisistrato vel ab aliis additos Kirchoffius [7]), Haagius [8]), La Rochius [9]) alii.

---

[1]) cfr. O. Jahn: Archäolog. Aufsätze p. 17 sqq.; Brunn: Geschichte der Griech. Künstler II p. 21 sqq.

[2]) I 15, 4.

[3]) Analecta Thesea p. 5 sqq.

[4]) Archäologische Beiträge p. 271 not. 41.

[5]) l. l. p. 7.

[6]) Plut. Thes. 20.

[7]) Hom. Odyss. p. 315 sqq.

[8]) de recensione Pisistratea p. 34 sqq.

[9]) Hom. Texteskritik im Alterth. p. 13 sqq.

Pisistrati temporibus Theseum antea non ita notum populi Attici heroem nobilissimum proclamatum esse quominus credamus nihil obstat, quamvis hoc premendum sit, quo magis Atheniensium potestas cresceret, eo latius Thesei gloriam propagatam esse.

Eiusmodi quae supra perlustravi interpolandi studiis recentioris originis suspicionem inici luce est clarius, ac si quis accuratius quo tempore expeditionis Cretensis a Theseo susceptae fabula orta sit definire cupiet, minime me quidem iudice a vero aberraverit, si haud ita multo ante id tempus, quo Pisistratus floruit, fabulam ortam esse pro certo sumpserit. Non tam ab epicis poetis, quam a logographis qui dicuntur atque rerum Atticarum scriptoribus fabulas Atticas collectas esse atque magnam partem inventas vix infitiari poterimus [1]). Plurima quidem, quae hi viri de Thesei vita factisque scripserunt, nunc sunt deperdita, ut nihil fere nisi fragmenta rarissima aetatem tulerint. Attamen Plutarchus nobis de Theseo opusculum ex logographorum eorumque scriptis haustum, qui Atthides confecerunt, reliquit. Quamquam excerpsit Plutarchus iudicio ut solet non satis severo adhibito, ita ut a fabulis genuinis poetarum inventa posteriorumque figmenta non satis distingueret, tamen ea, quae nobis tradidit Plutarchus, ad varias mythi narrationes reconciliandas maxime sunt idonea [2]); hoc certe demonstrant, Plutarcho fabulam Theseam narranti fontes logographorum vetustissimorum scriptis antiquiores ad manus non fuisse.

Atque primus quidem omnium Pherecydes [3]) hanc fabulam Theseam videtur narravisse [4]).

---

[1]) In eandem abiit sententiam Jahnius (Archäolog. Beiträge p. 272), qui recte monet Atticas fabulas cum epicis carminibus minus arte cohaerere.

[2]) Conferenda sunt, quae G. Gilbertus in disquisitione bonae frugis plena (Die Quellen des Plutarchschen Theseus) Philolog. t. 33 p. 55 de Thesei in Cretam expeditionis fontibus, quibus Plutarchus usus sit, disseruit.

[3]) Pertinent omnia fragmenta, quae nobis nota sunt, ad opus eius mythologicum decem librorum, quod modo Theogoniam, modo Genealogias, modo Autochthones modo Archaeologiam Atticam vocant. cfr. Mueller fragm. histor. Graec. I praef. p. XXXVI.

[4]) Res a Theseo in Creta insula gestae haud raro reperiuntur in vasis

Restat, ut examinemus Procli nuntium a viris doctis adhuc neglectum de fabula Thesea in Cypriis narrata. Haec narrantur a Proclo [1]) de Ariadne: Νέστωρ δὲ ἐν παρεκβάσει διηγεῖται αὐτῷ, ὡς Ἐπωπεὺς φθείρας τὴν Λύκου (sic scribendum esse Heynius recte coniecit) θυγατέρα ἐξεπορθήθη καὶ τὰ περὶ Οἰδίπουν καὶ τὴν Ἡρακλέους μανίαν καὶ τὰ περὶ Θησέα καὶ Ἀριάδνην. Ἐν παρεκβάσει narratam fuisse fabulam Proclus testificatur si omnino huius testimonio fides est habenda. Ut Proclus eiusmodi fabellam in Cypriis reppererit [2]), hoc certe ei minime curae fuit, utrum genuina fuerit haec carminis particula necne. Sine dubio fuit etiam hoc Atheniensium figmentum postea additum. Accedit, quod facillimum fuit hoc carminis loco nonnulla addere, cum interpolatori id potissimum agendum esset, ut Nestorem Ariadnes fabulam narrantem faceret, quamvis toto carmine longe recentioris esset originis. Ne longus sim Pisistratum Atheniensem non solum sparsam antea Homeri poesin in eam quam nunc habet formam redegisse constat verum etiam cyclum epicum [3]) composuisse. Cum vero dubium

---

fictilibus, quae nigris figuris picta et ornata sunt. Vasa autem, in quibus sunt figurae nigro colore pictae, ante Ol. LXXXVI facta esse demonstravit Jahnius (Beschreib. der Vasen König Ludwigs praef. p. CLXXIII). Haec ut moneamus propterea adducimur, ne quis forte credat, everti sententiam nostram, quam de fabulae Theseae prima apud veteres commemoratione protulimus, artis operibus. Immo optime quadrat picturarum origo ad tempus, quo fabulam Theseam ortam esse diximus.

[1]) Praeter Proclum in chrestom. nemo Ariadnes fabulam in Cypriis narratam fuisse tradit. Edidit nuperrime Procli epitomen huc spectantem Kinkelius (epic. Graec. fragm. I p. 16), qui reliquos quoque editores enumerat p. 16 not. 2.

[2]) Theodorus Birt in dissertatione inaug., cui inscripsit: Ad historiam hexametri Latini symbola, quamque emisit Bonnae anno h. s. LXXVI hanc sententiam controversam publici iuris fecit: Fabula de Ariadna a Theseo rapta et propter testificationes Dionysi necata, quae breviter perstringitur Odyss. κ 326 sqq. (non recte citat Birtius hunc locum; est enim Odyss. λ 321 sqq.) narrata erat in Cypriis ἐν παρεκβάσει. Miror quod Birtius ad rem in Cypriis narratam comprobandam ad Homeri locum provocat. Sine dubio virum doctum fugit, Odysseae versus interpolatori deberi.

[3]) cfr. Cramer anecdot. Par. I p. 3. Huius viri docti egregiam emendationem ἐπικὸν κύκλον vel ἐπικῷ κύκλῳ pro corrupto ἐπικογκύλω cum alii

esse non possit, quin a viris doctis, quorum industria atque opera usus est Pisistratus, fabulae Theseae ad Ariadnen spectanti in Homeri carminibus locus sit assignatus, in Cypriis occasione data similia perpetrata esse verisimillimum est.

---

tum Kinkelius (epic. Graec. fragm. I p. 339 not. 1) iusto iure commendant. Praeclaram deinde Rothii laudo coniecturam in nov. mus. Rhen. tom. VII p. 135 sqq. (Ein Zeugniss über den epischen Cyclus), qui in Joannis Tzetzae scholiorum in Aristophanem prolegomenis (edita sunt haec prolegomena ab Henr. Keilio in nov. mus. Rhen. tom. VI p. 108 sqq. et in Ritschelii opusculis I p. 197 sqq.) loco quodem corrupto verba ἐπικὸν κύκλον latere demonstravit. Qua re docemur Pisistratum epicum cyclum et ipsum componendum curavisse.

CAPUT II.

QUID VETERES DE ARIADNE TRADIDERINT.

§ 3.

Mythos, quibus deorum vita resque gestae exhibentur, non solum vetustissima verum etiam unica ac sola ingenii poetici documenta esse vulgo existimant. Carmina enim, quae scimus esse antiquissima, ad unum omnia sunt mythici argumenti vel sacri; unde sequitur, olim poesin ubique cum vetere populari religione arte coniunctam atque ita comparatam fuisse, ut intima ei cum antiquis illis mythis, quibus continebatur quidquid de rebus divinis et humanis sapienter traditum erat, necessitas intercederet. Quocunque loco mythus aliquis incolarum proprius factus est mox reperti sunt, qui mythum in carminum sacrorum formam redigerent atque deos hymnis propitios sibi reddere conarentur. Veluti in Attica, ubi Cereris cultus erat antiquissimus, mox quantum nos rimari et indagare possumus, vates extiterunt, qui Cereris cultum filiaeque raptum celebrarent [1]). Quodsi reputamus saepissime etiam alibi hanc deorum venerationem cultumque reperiri, mirum videtur esse, quod Bacchi cultus in maris Aegaei insulis dei veneratione praeter ceteras terras florentibus rarissima tantum antiquitatis testimonia enucleari possunt. Quae ut accuratius perspicias ad ea attendas, quae p. 4 sqq. de perrara Bacchi in vetustissimis carminibus commemoratione disserui.

---

[1]) cfr. R. Förster: Der Raub und die Rückkehr der Persephone p. 30.

PARS I.

TESTIMONIA VETERUM, QUAE AD ARIADNES CUM BACCHO CONIUNCTIONEM SPECTANT.

§ 4 A.

Antiquissima quae extant testimonia Ariadnen Bacchi fuisse coniugem demonstrant. Apprime huc faciunt duo loci, alter Il. XVIII 590 sqq., cuius et Pausanias [1]) et Lucianus [2]) mentionem fecerunt, hic est [3]):

Ἐν δὲ χορὸν ποίκιλλε περικλυτὸς ἀμφιγυήεις
τῷ ἴκελον οἷόν ποτ' ἐνὶ Κνωσσῷ εὐρείῃ
Δαίδαλος ἤσκησεν καλλιπλοκάμῳ Ἀριάδνῃ
ἔνθα μὲν ἠΐθεοι καὶ παρθένοι ἀλφεσίβοιαι
ὠρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες e. q. s.

alter in Hesiodi theogon. 947 sqq. reperitur [3]):

Χρυσοκόμης δὲ Διώνυσος ξανθὴν Ἀριάδνην
κούρην Μίνωος θαλερὴν ποιήσατ' ἄκοιτιν.
Τὴν δὲ οἱ ἀθάνατον καὶ ἀγήρω θῆκε Κρονίων.

Quod ad prioris testimonii rationem attinet recte mea sententia Welckerus [4]) hunc iuvenum virginumque chorum ad diem quendam festum verni temporis referendum esse monuit. Significat nihil aliud hic chorus, quam saltationes quibus Ariadne et Bacchus in Creta insula celebrabantur [5]). Iam vero ut ad alterum quod laudavi testimonium me convertam, deam esse hoc loco Ariadnen nemo negabit; sed qualis fuerit illa dea prima omnium est quaestio.

---

[1]) IX 40, 2: παρὰ τούτοις δὲ καὶ ὁ τῆς Ἀριάδνης χορός, οὗ καὶ Ὅμηρος ἐν Ἰλιάδι μνήμην ἐποιήσατο.

[2]) de saltatione 13: Ἃ δὲ Ὅμηρος ὑπὲρ Ἀριάδνης ἐν τῇ (Ἰλιάδι) ἀσπίδι πεποίηκε καὶ τοῦ χοροῦ, ὃν αὐτῇ Δαίδαλος ἤσκησεν, ὡς ἀνεγνωκότι σοι παρίημι.

[3]) cfr. quae p. 9 sqq. de his locis disputavi.

[4]) Griech. Götterlehre II p. 590. Scholiasta ad Iliadis locum haec adnotat: Ἐγκατεσκεύασε δὲ ἐπιμελῶς ὁ Ἥφαιστος καὶ χορὸν ὁμοίαν τάξιν ἔχοντα χορευόντων τῷ ὑπὸ Δαιδάλου τοῦ μηχανικοῦ κατασκευασθέντι Ἀριάδνῃ ἐν Κνωσσῷ πόλει τῆς Κρήτης.

[5]) Idem iudicat de hac re Prellerus (Griech. Mythologie I p. 599), qui recte confert Himer. orat. I 5 et Soph. Ai. 694. cfr. Philostr. imag. XI 16; Callistr. descript. III 4.

§ 4 B.

Minois Cretensis et Pasiphaes Ariadnen esse filiam ab omnibus traditur scriptoribus. Qua re in numinum Cretensium numerum eam [1]) recipiendam esse credideris, quorum species et natura ad solis vel lunae vim pertinuerit [2]). Accedit, quod Ἀριδήλαν [3]) Cretes deam nominaverunt, i. e. lucidam deam, quod nomen ipsum solis vel lunae cultum indicare videtur [4]).

Omnia, quae de his diis sunt tradita, arte cohaerent cum Semitarum deorum cultu [5]). Qua de causa Ariadnen Semitarum deae alicuius naturam magnam partem induisse infitiari vix poterimus. Iam antiquissimis temporibus eius cultum insignem fuisse inde colligi potest, quod Minois est filia, quem

---

[1]) Hae potissimum reperiuntur nominis formae: Ἀριάδνη, Ἀριάγνη, Ἀριάνη, Ἀριδήλα. cfr. corp. inscript. Graec. n. 8185 b, 8348. 8429, 7441, 7448, 7450, 7691, 7719. Vitiosa fortasse potius quam ex dialecto petita est forma Ἀρεάδνη a Suida servata. De nominis etymologia multi disputaverunt, attamen minime adeo explicata sunt omnia, ut nullus ad dubitandum relinquatur locus. Cum primum amplecterer eorum sententiam, qui derivandam esse hanc vocem a radice ἁδ (ἁδ — εῖν) putant, quorum in numero vides Welckerum (Griech. Götterlehre II p. 590), Fickium (Die griech. Personennamen p. 99) alios, nunc G. Curtium (Grundzüge der griech. Etymol. ed. II p. 635) sequor Hesychii: ,ἀδνὸν ἁγνὸν Κρῆτες' summam fidem esse habendam litteramque γ propter sequens ν in δ abiisse confirmantem. Idem indicant Prellerus (Griech. Mytholog. I p. 558), Plewius (apud Prellerum l. l. not. 6), Jahnius (Archäolog. Beiträge p. 261 not. 6), Ribbeckius (Entwickelung des Dionysoscult. in Attika p. 6), Savelsbergius (Zeitschrift für vergleich. Sprachwissenschaft VIII p. 410), qui Hesychii glossema exemplis firmat. Confert enim recte Ϝέργω Ϝέργον — Ϝέρδω et γνόφος (κνέφας) — δνόφος. De nominis forma Ἀριάγνη vasculo cuidam inscripta cfr. O. Jahn: Beschreib. der Vasensammlung König Ludwig's praef. p. CCV. not. 1345.

[2]) Hoeck: Creta II 144 sqq.

[3]) Hesych. s. v.; Engel: Quaest. Naxiae p. 50.

[4]) Equidem conicio, hanc nominis formam deam a Baccho in coelum evectam indicare. Spectat ad Ariadnes coronam, quae stella omnibus nota fuit. cfr. infra p. 25.

[5]) Movers: Phönizier p. 27 sqq.; Deimling: Die Leleger § 9 not. 54; Hoeck: Creta II. p. 144 sqq.; Hermann: Gottesdienstliche Alterthümer § 67 24 sqq.; Bursian: Geographie von Griechenland II p. 534.

iam Homero notissimum fuisse constat [1]). Ut Bacchus in Naxo insula ab initio maxime celebratus mox Cretum factus est proprius, ita Ariadnes cultum ex Creta in adiacentes insulas delatum esse verisimile est [2]).

Utrumque numen colebatur propter singulare quodpiam in homines beneficium. Bacchus quasi genius erat totius naturae. Is vinum hominibus dederat [3]), quapropter maxime celebrabatur [4]).

Etiam Ariadnae speciem quandam naturalem fuisse iam inde manifestum fit, quod Bacchi est coniux. A Baccho de huius deae natura quaestio incipiatur necesse est, non a Cretensium deorum cultu [5]).

Et fabulae et ritus dierum festorum in Ariadnes honorem eandem duplicem exprimunt naturam, quam Cereris eiusque filiae [6]) fuisse satis notum est. Dolorem et gaudium, mortem

---

[1]) Satis sit unum ex Homeri carminibus locum attulisse (Odyss. XIX 172 sqq.), quem si recte perpenderis Minois auctoritatem permagnam atque omnibus notam fuisse minime negabis.

[2]) cfr. Hoeck l. l. III p. 179; Ribbeck l. l. p. 7. Bursian l. l. II p. 491 not. 3.

[3]) cfr. Diod. VI 2, 2; Macrob. Sat. I 19.

[4]) Bacchum magnum feminarum comitatum in Creta secum duxisse cum furore tum thyrsorum iactationibus insignem Prellero (Archäolog. Zeitung 1855 p. 11) persuasum est. Cum semiviro (sic!) comitatu deum in Cretam delatum esse Firm. Lactantius div. inst. I 10 tradidit.

[5]) cfr. Engel l. l. p. 49.

[6]) Stephanius (titulorum Graec. collatorum part. I p. 21), Welckerus (Griechische Götterlehre II p. 590), Engelius (Quaest. Naxiae p. 48 sqq.). Ariadnen speciem quandam Proserpinae esse atque utriusque deae cultum arte cohaerere contendunt. Argutius quam verius Stephanius l. l. vocem Ἀριάδνη vel Ἀριάγνη primum nihil aliud fuisse conicit, quam Proserpinae sollemne cognomen. Societas quaedam ut ita dicam ab initio in cultu deorum Graecorum praesertim eorum, quorum species ad naturam spectabat, etiam mihi videtur fuisse, sed utramque deam eadem ab initio fuisse notione demonstrari vix poterit. Nam Ariadnes cultus cum Semitarum deorum arte cohaeret; in Proserpinae vero religione nulla extant Orientalis cultus indicia. cfr. R. Foerster: Raub und Heraufführung der Persephone p. 3. Apud Romanos primum utraque dea ‚Libera' vocata est. De Proserpina apud omnes constat. Locos ad Ariadnen spectantes collegerunt

et vitam Ariadnen afferre inde colligi potest, quod dies festi in deae honorem celebrati duplicis generis fuerunt, si Plutarchum auctorem sequimur [1]). Modo erant festivi et hilares atque cum ludis iocosis coniuncti, modo cum luctu quodam ac dolore mixti [2]). Cum primum dea, quae quasi fecunditas ipsa videbatur esse, evanuit, haec res cum luctu publico celebrabatur; eadem fecunditate redeunte exoriebatur summa laetitia ac sollemnia inde constituta sunt. Non est mater sed coniux [3]) Bacchi, quocum quotannis per dies festos denuo coniuncta putabatur [4]).

§ 5.

Ut his iactis fundamentis ad antiquissima quae extant de Ariadne, Bacchi coniuge, testimonia regrediar statim omnia hoc loco proferam, quae ad Bacchi et Ariadnes cultum spectant. Iam supra commemoravi eorum testimonia, qui res Creticas conscripserunt, summi ponderis esse debere. Separanda est Ariadne in Creta et adiacentibus insulis celebrata a Thesei coniuge, quam Attici scriptores heroi suo attribuerunt. Re vera est eadem dea, sed Thesei coniux, quae Veneris aliqua ex parte induit speciem, maris Aegaei insularum incolis ab initio prorsus ignota erat [5]). Haec apud Hyginum (astronom.

Welckerus (Griech. Götterlehre II p. 590) et Gerhardius (Griech. Mythol. § 456, 3 et 985) Addo Hyg. fab. 224: Ariadnen Liber pater Liberam appellavit Minois et Pasiphaes filiam.

1) Thes. 20. cfr. Ribbeck l. l. p. 7.

2) cfr. Bursian l. l. II p. 491 not. 3; Preller: Griech. Mythologie I p. 560 not. 5.

3) Hesiod. theog. 948: ἄκοιτις; Eurip. Hippol. 339: Διονύσου δάμαρ; Quint. Smyrn. IV 387: ὅτ' εἰς Οὔλυμπον ἀνήγαγε δῖαν ἄκοιτιν; Satyrus apud Theophil. ad Autol. (fragm. histor. Graec. III p. 165 fragm. 21) et Meineke: Anal. Alexandrina p. 346): Ἀριάδνης ἀπὸ τῆς θυγατρὸς Μίνω γυναικὸς δὲ Διονύσου.

4) Hygin. astron. II 5; Lactant. div. instit. I 10; Schol. Caes. Germ. Arat. Phaen. 69.

5) A Creticis scriptoribus fabulam Theseam non commemoratam esse ex iis, quae Diodorus V 64 sqq. refert, perspicitur, praesertim cum Creticos scriptores se sequi Diodorus confirmet. His locis ne uno quidem verbo fabulae Theseae mentio facta est.

II 5) legimus: ‚Sed ut ait qui Cretica conscripsit, quo tempore Liber ad Minoa venit cogitans Ariadnen comprimere, hanc coronam ei muneri dedit, qua delectata non recusavit condicionem'. Huius auctoris nuntium ad Ariadnes et Bacchi cultum in Creta [1]) insula referre quis erit qui dubitet? Ibi iam diu Ariadnen Bacchi coniugem fuisse quo tempore cum Theseo ab Atticis scriptoribus coniungeretur me quidem iudice propterea concedendum est, quod duas fuisse Ariadnas veteres fabulabantur [2]); alteram Baccho nupsisse et Staphylum peperisse, alteram natu minorem a Theseo deductam et relictam in Naxum pervenisse eiusque sepulcrum ibi ostendi. Hanc quidem Ariadnen mortuam ibi coli, sed prorsus alia ratione atque Ariadnen natu maiorem, Bacchi coniugem. Quo vero pacto fieri potuerit quaerat quispiam, ut Naxiorum scriptores, quos laudat Plutarchus, duas Ariadnas alteram natu maiorem, alteram minorem fuisse traderent. Quae res mihi nihil aliud videtur demonstrare, quam Ariadnes et Bacchi cultum et esse vetustissimum et esse separandum a Thesei coniugis [3]). Iuvat Himerii sophistae (Orat. I. 5) de Bacchi et Ariadnes nuptiis locum subiungere: Ἀκούω δὲ καὶ τὸν Πᾶνα θεὸν τοῦτον τὸν νόμιον μεῖζον ἐμπνεῦσαι τῇ σύριγγι, ὅτε τὴν Ἀριάδνην Διόνυσος ἐν Κρητικοῖς ἄντροις ἐνύμφευεν [4]). Recte denique Prellerus [5])

---

1) Apud se Bacchum natum esse vel argumentis Cretes demonstrare conabantur auctore Diodoro V 75, 5: Οἱ δ' οὖν Κρῆτες τῆς παρ' αὐτοῖς γενέσεως τοῦ θεοῦ πειρῶνται σημεῖα φέρειν, λέγοντες, ὅτι περὶ τὴν Κρήτην δύο νήσους κτίσας ἐπὶ τῶν καλουμένων διδύμων κόλπων Διονυσιάδας ἀφ' ἑαυτοῦ προσηγόρευσεν κ. τ. λ.

2) Plut. Thes. 20: Καὶ Ναξίων δέ τινες ἰδίως ἱστοροῦσι δύο Ἀριάδνας γενέσθαι, ὧν τὴν μὲν Διονύσῳ γαμηθῆναι φασὶν ἐν Νάξῳ καὶ τοὺς περὶ Στάφυλον τεκεῖν· τὴν δὲ νεωτέραν ἁρπασθεῖσαν ὑπὸ Θησέως καὶ ἀπολειφθεῖσαν εἰς Νάξον ἐλθεῖν κ. τ. λ.

3) A vero aberrat Engelius l. l. p. 54 hanc rem tractans.

4) cfr. Sophocl. Ai. 694;

ἰὼ ἰὼ Πὰν Πάν . . . . . .
ὅπως μοι Νύσια Κνώσι' ὀρχήματ'
αὐτοδαῆ ξυνὼν ἰάψῃς;

Prop. II 3, 18 egit ut euhantes dux Ariadna choros.

5) Archäologische Zeitung 1855 p. 13.

Odysseae locum [1]) a viris doctis [2]) varie tentatum huc spectare persuasum habet. Ariadne Bacchi coniux propterea a Diana Baccho iubente necatur, quod deus coniugem a Venere in Thesei amorem abreptam mortali tradi noluit [3]). Interpolatori Thesei nomen Homericis carminibus inserenti fabulam de Bacchi et Ariadnes coniunctione non ignotam fuisse additamento: οὐδ' ἀπόνητο, πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα κ. τ. λ. indicatur [4]). Adde quod Argis quoque Bacchus Ariadnen interficiendam curavisse ferebatur. Cresii Liberi ibi fuisse templum Pausanias refert [5]), ibique deum Ariadnen interfectam sepulturae mandavisse.

§ 6.

Proximum est, ut nonnulla addam de corona a Baccho Ariadnae muneri data, cuius frequentissima apud scriptores poetasque veterum fit mentio. Mirum quantum veteres de hac corona fabulabantur, cum alii mythum genuinum sequerentur, alii fabula ab Atticis scriptoribus inventa coronam a Theseo Ariadnae dono datam esse uterentur.

Nos nisi ea testimonia hoc loco non perlustrabimus, quae ad Bacchum pertinent. Rerum Creticarum scriptor [6]) nos certiores facit Bacchum, cum ad Minoem venisset, ut filiam

---

[1]) XI 321 sqq.: ἥν ποτε Θησεύς
ἐκ Κρήτης ἐς γουνὸν Ἀθηνάων ἱεράων
ἦγε μέν, οὐδ' ἀπόνητο, πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα
Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ Διονύσου μαρτυρίῃσιν.

[2]) Nitzschius: adnot. ad l. Welcker: Griech. Götterlehre II 591; Naegelsbach: Homer. Theol. p. **111**; Gerhard: N. Rhein. Mus. XVIII p. **441**; L. Schmidt: ann. dell' Inst. 1859 p. 262. Interpolatori locum deberi p. 9 demonstravi.

[3]) Exempla huic similia promit Prellerus l. l. Eodem mytho etiam pictores fictoresque usos esse O. Jahnius (Archäolog. Beiträge p. 279) evicit. cfr. Preller: Archäolog. Zeitung 1855 p. 14; Gerhard: N. Rhein. Mus. XVIII p. 443.

[4]) Scholiastae interpretationem, Ariadnen in Naxo insula Thesei amoribus sese dedidisse in Bacchi nemore atque hanc ob rem mortem obiisse ex Odysseae loco ipso fluxisse persuasum habeo.

[5]) II 23, 8.

[6]) Hygin. astr. II 5; Schol. Claud. Caes. Arat. Phaen. 71.

eius Ariadnen uxorem duceret, coronam Ariadnae dono dedisse [1]). Hanc coronam a Vulcano fabricatam [2]) et septem lampadibus insignem [3]) deus ipse ut coniugis esset honor inter sidera collocaverat [4]). Fuit haec Ariadnes corona stella omnibus nota, id quod multis veterum testimoniis confirmatur [5]). Fabula de corona ad Cretum veterem coeli cultum spectare atque inde originem traxisse videtur. Stella eximii fulgoris Ariadnes esse existimabatur, ac dea a Baccho immortalis reddita [6]) hoc modo colebatur.

---

[1]) Aliter apud schol. Claud. Caes. Arat. Phaen. 70: Haec corona dicitur esse Ariadnes, quam Liber astris intulisse dicitur, cum eius nuptias dii in insula Creta celebrarent, cogitans praeclaram facere, qua primum nova nupta coronata est. Eundem Ariadnes honorem indicat Ovid. Fast. III 459; Trist. V 3, 41.

[2]) Mythogr. Vat. II 124; Hygin. astr. II 5; Schol. Claud. Caes. Arati Phaen. 71; Eratosthen. catast. 5; Quint. Smyrn. IV 386. Sunt quoque. qui a Venere et Horis Bacchum accepisse coronam perhibeant: Schol. Arat. Phaen. 71; Hygin. l. l.; schol. Claud. Caes. Arati Phaen. l. l.

[3]) Mythogr. Vat. II 124. Aliter Hyginus (astron. II 5): ‚dicitur a Vulcano facta ex auro et Indicis gemmis' et Eratosthenes (cataster. 5): Ἡφαίστου δὲ ἔργον ἐκ χρύσου πύρωδος καὶ λίθων Ἰνδικῶν.

[4]) Arati Phaenom. 71 sqq.:
Αὐτοῦ κἀκεῖνος Στέφανος, τὸν ἀγαυὸν ἔθηκεν
σῆμ' ἔμεναι Διόνυσος ἀποιχομένης Ἀριάδνης.
cfr. schol. ad l.; Hygin. astron. II 5; Mythogr. Vat. II 124; Manil. astron. V 252 sqq.; Schol. Apoll. Rhod. argonaut. III 997.

[5]) Cic. Arat. 75; de nat. deor. II 108; III 40; Plin. nat. hist. XVIII 25, 224; Mart. Capella VIII 841 sqq.; Hor. carm. II 19, 13; Ovid. fast. III 459; V 345; Heroid. VI 115; Trist. V 3, 41; Hygin. astr. II 5; Mythogr. Vat. II 124; Claud. Caes. Arat. Phaenom. 70—73 et schol. ad l.; Macrob. comment. in somn. Scip. I 14; Eratosthen. catast. 5; Manil. astron. V. 252—255; Lucian. deor. conc. 5; Apoll. Rhod. argon. II 1002; Arat. Phaenom. 71 et schol. ad l.; Nonnus I 201; VIII 98; XXV 145; XLVII 704; XLVIII 971.

[6]) Iam theogoniae scriptor (v. 949) Ariadnae hunc tribuit honorem: ‚Τὴν δέ οἱ ἀθάνατον καὶ ἀγήρω θῆκε Κρονίων'. Poetae versibus rem etiam ita persecuti sunt, ut lyncibus Ariadne a Baccho ad caelum vecta esse videatur. Prop. IV 17, 8: Lyncibus ad caelum vecta Ariadna tuis; cfr. Ovid. fast. III 510; Luc. deor. conc. 5; Quint. Smyrn. IV 387. Eandem Ariadnes immortalitatem a Baccho acceptam ab Odyss. XI 320 sqq. scriptore

Quae postea his fabulis adiuncta sunt, cum ad Theseum spectent, in sequentibus dicam.

§ 7.

Restat, ut de Bacchi et Ariadnes filiis nonnulla proferam. Ac ne quis parvi aestimandam esse hanc quaestionem putet, illud monendum esse iudico, optime inde Bacchi et Ariadnes coniugium perspici. Non solum in maris Aegaei insulis, verum etiam in continenti terra his diis filii tributi sunt, neque mirum esse potest, quod filiorum nomina magnam partem vini cultus certissima indicia prae se ferunt, velut Oenopionis[1]) et Staphyli[2]). Ex tali progenie apparet, et Bacchum et Ariadnen non solum deos naturalis cuiusdam speciei fuisse, verum etiam inde ab antiquissimis temporibus omnem vitis culturam in eorum fuisse tutela. Oenopionem et Staphylum Ariadnes et Bacchi filios fuisse multi confirmant velut Theopompus apud Athenaeum I p. 47C.: Οἰνοπίωνος τοῦ Διονύσου. Diodorus V 79, 1: Οἰνοπίωνι τῷ Ἀριάδνης τῆς Μίνω Χίον ἐγχειρίσαι φασίν, ὃν ἔνιοι μυθολογοῦσι Διονύσου γενόμενον μαθεῖν παρὰ τοῦ πατρὸς τὰ περὶ τὴν οἰνοποιίαν. cfr. V 84, 3: Οἰνοπίωνα δὲ τὸν Ἀριάδνης τῆς Μίνω υἱὸν κύριον τῆς Χίου κατέστησεν. Apollodorus I 9, 16: Καὶ Στάφυλος Διονύσου. Plutarchus Thes. 20: Τὴν μὲν Διονύσῳ γαμηθῆναι φασὶν ἐν Νάξῳ καὶ τοὺς περὶ Στάφυλον τεκεῖν. Hesiodus apud schol. Hom. Odyss. IX 198: πρὸς Ἡσίοδον λέγοντα, τὸν Μάρωνα εἶναι Οἰνοπίωνος τοῦ Διονύσου[3]). Eadem de Staphylo testatur Apollonius Aphrodisiensis[4]) de

---

intellegi Welckerus demonstrasse sibi visus est (Griech. Götterlehre II p. 592): Etenim Ariadnen nisi a Diana interfectam immortalitatem accipere non potuisse.

[1]) De nomine cfr. Zeitschrift für vergleich. Sprachwissensch. VI p. 276; Osann: Oenopion und seine Sippschaft (Rhein. Mus. III p. 241 sqq.); Preller: Griech. Mythologie I p. 369.

[2]) Preller: Griech. Mythologie I p. 582 not. 2.

[3]) cfr. Schol. Apoll. Rhod. Argon. III 997; schol. Arat. Phaen. 636.

[4]) fragm. hist. Graec. IV p. 314. cfr. Satyrus apud Meineckium: Anal. Alexandr. p. 346 et fragm. hist. Graec. III p. 165 fragm. 4; Parthen. narrat. amator. 1; Servius ad Verg. georg. I 8.

Oenopioné schol. ad Arat. Phaenom. 636: Οἰνοπίων ὁ Διονύσου καὶ Ἀριάδνης παῖς ἐν Χίῳ τῇ νήσῳ ᾤκει ταύτης βασιλεύων.[1]) Alii Maronem Baccho peperisse Ariadnen perhibent[2]) et Euanthen, Thoantem, Phliantem, Ceramum Atheniensem, Satramyn, Tauropolim.[3])

PARS II.

DE ATTICORUM TESTIMONIIS FABULAS DE ARIADNE EXHIBENTIBUS.

§ 8.

Cohaeret haec mythi pars cum fabulis de Theseo eiusque itinere Cretensi. Ad ea vero, quae de Theseo nobis sunt tradita, recte perspicienda atque aestimanda summi ponderis est Pausaniae[4]) locus, qui varios sed minime veros sermones apud plurimos de Theseo reperiri tradidit nempe apud eos, qui historiae ignari quaecunque a pueris ex choris ac tragoediis accepissent, vera esse existimarent. Itaque quae de Thesei itinere Cretensi et Ariadnes nuptiis comperta habemus, accurate erunt examinanda, praesertim cum ex Atheniensium ipsorum narrationibus hausta sint.[5]) Athenienses vero maxime id egisse, ut heroem suum laudibus efferrent eiusque gloriam propagarent, supra cognovimus.

Mirum quantum operae studiique Athenienses inde a Pisistrati temporibus in Thesei gloriam digne celebrandam con-

---

[1]) cfr. Satyri fragm. l. l.

[2]) cfr. Satyri fragm. l. l.; Eurip. Cycl. 14 sqq.; Preller: Griech. Mythologie I p. 604.

[3]) de singulis cfr. Schol. Apoll. Argon. III. 997; Satyri fragm. l. l.; Stat. Theb. IV 769; Mythogr. Vat. I 204; Paus. I 3, 1. Hygin. fab. 14. Ad Pausaniae locum cfr. Gerhard: Akadem. Abhandlungen II. p. 162; ad Hygini, quae Schmidtius in edit. sua p. 47 ad v. 23 adnotavit.

[4]) I 3, 2: λέγεται μὲν δὴ καὶ ἄλλα οὐκ ἀληθῆ παρὰ τοῖς πολλοῖς, οἷα ἱστορίας ἀνηκόοις οὖσι, καὶ ὁπόσα ἤκουον εὐθὺς ἐκ παίδων ἔν τε χοροῖς καὶ τραγῳδίαις πιστὰ ἡγουμένοις. cfr. Arist. poet. 8: Διὸ πάντες ἐοίκασιν ἁμαρτάνειν, ὅσοι τῶν ποιητῶν Ἡρακληΐδα καὶ Θησηΐδα καὶ τὰ τοιαῦτα ποιήματα πεποιήκασιν· οἴονται γάρ, ἐπεὶ εἷς ἦν ὁ Ἡρακλῆς, ἕνα καὶ τὸν μῦθον εἶναι προσήκειν κ. τ. λ.

[5]) cfr. Engel: Quaest. Naxiae p. 42; Heydemann: Analecta Thesea p. 7.

tulerunt. Logographi qui dicuntur praeter ceteros Pherecydes et Philochorus, oratores praecipue Isocrates Theseum laudibus tollunt. Poetae epici[1]) carmina condunt, tragici praedicant, comici salse eius opera pertrahunt, artifices formant, fingunt, sollemnia in eius honorem aguntur[2]).

Quae cum ita sint, difficile videtur esse fabulas omnes ad Thesei expeditionem Cretensem spectantes in ordinem quendam referre ordinatasque explanare. Pherecydes[3]), cuius de hoc mytho testimonium est antiquissimum omnium, quae aetatem tulerunt, haec narrat: Theseus, Aegei filius, sorte ducta cum ceteris iuvenibus in Cretam profectus est, ut Minotaurum interimeret. Cum in insulam advenisset, Ariadne, Minois filia, amore eius capta fili glomum a Daedalo[4]) architecto acceptum ei dedit, praecepitque, ut, cum introisset in labyrinthum, Minotauri domicilium, glomi initio ad superum portae limen alligato progrederetur filum evolvens, usque dum ad interiorem labyrinthi partem perveniret. Ubi si taurum dormientem deprehendisset, capillis eius arreptis ipsum Neptuno sacrificaret, deinde glomum revolvens regrederetur. Theseus vero cum Ariadne et iuvenibus virginibusque, qui hoc modo periculum effugerant, navem conscendit et media nocte navi ex Creta profectus est. Cum in Dia insula appulisset, e navi egressus in littore se dedit quieti, et Minerva adstans Athenas Ariadne relicta cum proficisci iussit; statimque surgens dicto audiens fuit. Ariadnae vero lacrimanti Venus apparuit eamque cohortata est, ut bono esset animo. Bacchi enim ipsam fore coniugem summa gloria fruentem. Deus vero apparuit ac

1) cfr. Jahn: Archäolog. Beiträge p. 271 not. 4.

2) Haec uberiora atque pleniora apud Heydemannum l. l. p. 7 enarrata sunt.

3) Schol. Homer. Odyss. XI 320; fragm. histor. Graec. I. p. 97 (fragm. 106). cfr. Gilbert: Phil. XXXIII p. 55.

4) Sic omnes fere scriptores, quamquam apud nonnullos Daedali non facta est mentio. cfr. singula, quae tradiderunt Schol. Il XVIII 590; Diod. IV 61, 4; Lucian. Hermot. 47; Nonnus XLVIII 49; Prop. III 14, 7; V 4. 41; Cat. 64. 113; Verg. Aen. VI 30; Serv. ad Verg. Aen. VI 14; Seneca Phaedr. 657; Hygin. fab. 42; Schol. Stat. Theb. XII 676; Achill. I 192; Mythogr. Vat. I 43; II 124.

cum ea concubuit. Donavit ei coronam auream, quam postea dii inter sidera collocaverunt Baccho gratificantes. Occisa vero est Ariadne virginitate proiecta.

Huic fabulae narrationi addenda sunt duo alia eiusdem Pherecydis fragmenta, alterum apud Plutarchum,[1]) alterum a Macrobio[2]) servatum.

Quamvis de tributo, quod Athenienses Minoi solvere debebant Pherecydis nullum ad nos pervenit testimonium, tamen de hac re nulla relinquitur dubitatio, cum Plutarcho auctore[3]) de Atheniensium vectigali et Thesei expeditionis causis omnes fere scriptores consentiant.

Fabula haec est: Cum ab Atheniensibus Androgeus, Minois filius, dolo[4]) interfectus esset, non solum Minos rex incolis Atticae terrae grave bellum intulit, sed etiam dii regionem foedaverunt. Sterilitas enim agrorum et morbi passim incubuerunt fluminaque exaruerunt. Cum vero Apollo interrogatus respondisset, divinam iram cessaturam esse, si Minoem placassent et cum eo essent reconciliati, legatos miserunt Athenienses et ut esset requies malorum foedus hac condicione fecerunt, ut tributum penderent ac nono quoque anno septenos impuberes adulescentes totidemque virgines in Cretam mitterent. Quae deinde narrat Plutarchus ab aliis aliter tradita esse ex ipsis Plutarchi verbis cognoscimus, ut difficile sit diiudicatu, quaenam Pherecydis fuerit de Atticorum iuvenum virginumque sorte sententia.

Redeamus igitur ad totius fabulae summam videamusque quali mutationi mox obnoxia fuerit.

1) Thes. 19. Φερεκύδης δὲ καὶ τὰ ἐδάφη τῶν Κρητικῶν νεῶν φησιν ἐκκόψαι τὸν Θησέα τὴν δίωξιν ἀφαιρούμενον.

2) Saturnal. I 17: Pherecydes refert Thesea, cum in Cretam ad Minotaurum duceretur, vovisse pro salute ac reditu suo Ἀπόλλωνι Οὐλίῳ καὶ Ἀρτέμιδι Οὐλίᾳ.

3) Thes. 15: ὁμολογοῦσιν οἱ πλεῖστοι τῶν συγγραφέων.

4) Varias mortis causas afferunt scriptores. cfr. Diod. IV 60, 5; Paus. I 27. 9; Plut. Thes. 15; Apollod III 15, 7; Cat. 64, 77; Prop. II 1, 62; Hygin. fab. 41; Serv. ad Verg. Aen. VI 14; Mythogr. Vat. I. 43; II 122.

§ 9.

Hellanicus[1]) tradiderat, pueros et puellas ab Atheniensibus non sorte ductos missos esse, sed Minoem eos elegisse praesentem atque praeter ceteros cepisse Theseum. Lege autem constitutum fuisse, ut Athenienses navem praeberent impositique iuvenes arma bellica secum non ferentes cum Theseo navigarent. Minotauro perempto finem fore poenae. Itaque Athenienses navem cum atro velo ut ad certam perniciem misisse. Cum vero Theseus patris animum confirmaret et domiturum sese Minotaurum gloriaretur, velum candidum gubernatori Aegeum dedisse imperantem, ut candidum attolleret, si Theseo sospite rediret, si minus cum atro velo navigaret atque ita cladis signum ederet. Diodorus[2]) eandem fabulae formam secutus expeditionis finem ita narrat: Theseum eiusque socios ob virginis raptum maestos vela atra mutare oblitos esse. Qua de causa Aegeum a Minotauro Theseum consumptum esse ratum in mare sese praecipitavisse.

Ad hanc vetustiorem fabulae formam sine dubio sunt referenda, quae Plutarchus sub finem cap. XV. de Atheniensium iuvenum virginumque obitu refert:[3]) Atheniensium pueros in Cretam deportatos in labyrintho a Minotauro aut devoratos esse aut vagantes, cum exitum invenire non possent, ibi interiisse.

Poetas tragicos hanc antiquiorem fabulae formam secutos esse ex ipsis Plutarchi verbis apparet[4]), praesertim cum duos Euripidis versus huc spectantes afferat.

---

1) Plut. Thes. 17; fragm. hist. Graec. I p. 54 (fragm. 73).

2) Diod. IV 61, 6 sqq. Eadem reperiuntur apud Plut. Thes. 22; Paus. I 22, 5; Cat. 64, 207 et 245; Hygin. fab. 43; Serv. ad Verg. Aen. III 74; Mythogr. Vat. II 125.

3) Opponit enim Plutarchus in sequentibus huic fabulae recentiorum inventa veluti Philochori.

4) Ὁ μὲν τραγικώτατος μῦθος ἀποφαίνει τὸν Μινώταυρον ἐν τῷ Λαβυρίνθῳ διαφθείρειν τοὺς παῖδας εἰς Κρήτην κομιζομένους, ἢ πλανωμένους αὐτοὺς καὶ τυχεῖν ἐξόδου μὴ δυναμένους ἐκεῖ καταθνήσκειν.

§ 10.

Praeter ceteras poetarum tragicorum fabulas[1]) huc referenda est Euripidis, quae Theseus inscribitur. Qualis fuerit haec tragoedia multi[2]) demonstrare conantur. Nos singillatim unamquamque rem attingemus et sic omnia transibimus, perquam breviter fragmenta, ut utrum Euripides mutaverit mythum necne perspiciatur.

Complexa est sine dubio tragoedia Thesei et Minotauri pugnam. Eadem videmus Minoem saevitia et crudelitate in Euripidis fabula, qua apud ceteros eum fuisse ex antecedentibus apparet[3]). Neque omisit Euripides Minotauri efferatam

---

1) In Sophoclis fabula: Καμίκιοι vel Μίνως (cfr. Dindorf: poetae scenic. Graec. p. 43; Nauck: fragm. trag. Graec. p. 159; Welcker: die Griech. Tragöd. p. 431), quam expressit Hyginus fab. 44 (cfr. C. Lange: de nexu inter C. Julii Hygini opera Mythologica et fabularum librum p. 40) Minotauri mentio non videtur facta esse, quantum ex fragmentis et Hygini fabula concludi potest. Stephanius (d. Kampf des Theseus mit dem Minotaurus p. 20 sqq.) duobus locis, qui petiti sunt ex Plat. Crit. p. 321a. et Plut. Thes. 16: Καὶ γὰρ ὁ Μίνως ἀεὶ διετέλει κακῶς ἀκούων καὶ λοιδορούμενος ἐν τοῖς Ἀττικοῖς θεάτροις plus quam aequum fuit tribuens hanc fabulam a poetis tragicis inventam esse commentus est, quam sententiam suo iure improbat Jahnius (Archäolog. Beiträge p. 253 not. 6). Secundum Augustinum de civ. dei XVIII 13 fabula de Minotauro orta est quo tempore Hebraeis iudices praeesse coeperant. Quin erret Augustinus non est dubium. Etiam Thrasyllus Mendesius (fragm. hist. Graec. III p. 503 fragm. 3) tempus non recte significat. Fabulam Theseam apud Pherecydem primum reperimus; obsides ab Atheniensibus in Cretam missi iam a Sappho et Bacchylide Servio ad Verg. Aen. VI 21 teste commemorantur.

2) Welcker: Griech. Tragöd. p. 733 sqq.; Hartung: Euripides restitutus II p. 547 sqq.; O. Jahn: Archäolog. Beiträge p. 252 sqq.; cfr. Nauck: fragm. tragic. Graec. p. 378 sqq.; Dindorf: poet. scenic. Graec. p. 93 sqq.

3) fragm. 386 (Nauck.) ὦ βδελυρὲ κἀναίσχυντε καὶ τολμηρὲ σύ. Cum Nauckio facio, qui putat, hoc fragmentum Theseum et Minoem graviter rixantes ostendere. Non dubito, quin Euripides Minoem his conviciis a Theseo cumulari fecerit. Athenienses enim summo odio incensi esse debebant in Minoem ipsorum liberos Minotauro ad devorandum tradentem. Respicit Aristophanes, apud quem et alibi haud pauca ex Theseo Euripidis petita reperiuntur (cfr. fragm. 387 Nauck.), ad Euripidis fabulam in Vesp. v. 313 atque οἱ ταττόμενοι παῖδες εἰς βορὰν τῷ Μινωταύρῳ commemorantur

immanitatem, quam ceteri scriptores Attici ei attribuerant. Foedissimum fuisse monstrum Minotaurum tauri faciem cum humano corpore consociatam gerens[1]) atque ab eo Atheniensium liberos devoratos esse[2]) apertum est. Quod etiam ad Thesei personam attinet nihil novi Euripides in fabula enarranda videtur protulisse. Theseum non solum fortissimum verum etiam sapientissimum demonstrant fragmenta. Ita fragm. 392 (Nauck.): Ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν εἰς φροντίδας νοῦν συμφοράς τ᾽ ἐβαλλόμην φυγάς τ᾽ ἐμαυτῷ προστιθεὶς πάτρας ἐμῆς θανάτους τ᾽ ἀώρους καὶ ¦κακῶν ἄλλας ὁδούς, ἵν᾽ εἴ τι πάσχοιμ᾽ ὧν ἐδόξαζον φρενὶ μή μοι νεωρὲς προςπεσὸν μᾶλλον δάκοι. Ariadnes denique partes cum patris saevitiam tum Minotauri immanitatem abominantis atque summo viri praestantissimi amore incensae et ipsas intra notos mythi fines sese continuisse quominus credamus nihil obstat. Hoc unum concedendum erit, personas singulas, Ariadnes maxime, poetae

a scholiasta ad l. cfr. Plat. Min. 318 D et 320 D; Plut. Thes. 16; Philostr. Apoll. IV 34.

1) fragm. 383 (Nauck.): σύμμικτον εἶδος κἀποφώλιον βρέφος; sic Plut. Thes. 15 versum citat. In morol. p. 520 C legitur τέρας pro βρέφος, quam ob rem Nauckius τρέφος legi vult. fragm. 384 (Nauck.): ταύρου μεμῖχθαι καὶ βροτοῦ διπλῇ φύσει. cfr. ad Minotauri figuram recte perspiciendam Plut. Thes. 15; Diodor. IV 77, 3; Paus. I 24, 2; Isocrat. X 28; Apollod. III 1, 4 et III 15, 8; fragm. hist. Graec. IV p. 539 fragm. 16; Appendix narrat. 55 apud Westermannum; Mythogr. p. 379; Heraclit. de incredib. 6; Luc. ver. histor. II 44; Tzetz. Chil. XI 552; Verg. Aen. VI 25; Cat. 64, 111; Prop. V 4. 41; Ovid. metamorph. VIII 156 et 169; Stat. Theb. XII 665 sqq.; Isidor. orig. XI 3, 9. Eandem Minotauri figuram nummi et vasorum picturae exhibent. cfr. Eckhel. doctrin. nummor. vet. I p. 154; II p. 308; Millin: mythol. Gallerie I p. 343; O. Jahn: Vasenbilder p. 11; Benndorf: Griech. sicilisch. Vasenbilder tab. XII 2; Heydemann: Griech. Vasenbild. p. 8; Conze: Thes. und Minotauros p. 6; Helbig: Wandgemälde der verschütt. Städte Camp. n. 1213—1215; O. Jahn: Archäolog. Beiträge p. 260 et 257, ubi optime Stephanii (Kampf d. Thes. mit dem Minot. p. 65) sententia Pausaniam I 24, 2 dubitasse, Minotaurus homo fuisset an bestia, refutatur.

2) Tzetzes Chil. XI 555: πολλοὶ δὲ ἐγκλειόμενοι ἐκεῖσε ἀνῃροῦντο ὑπὸ τοῦ Μινωταύρου μὲν ὥσπερ τισὶν ἀρέσκει καὶ Εὐριπίδῃ δὲ αὐτῷ ἐν δράματι Θησεῖ. cfr. Hygin. fab. 41.

proprietati aptatas esse[1]). Euripidem mythum ipsum non mutasse etiam ex Hygini fabula 42 sequitur, quae ex Euripidis tragoedia expressa est[2]). Hygini enim fabulae de Minoe (fab. 41), de Theseo apud Minotaurum (fab. 42), de Ariadne (fab. 43), de Cocalo (fab. 44) maximam partem ex Sophoclis Euripidisque tragoediis fluxerunt, ut Langius l. l. demonstravit.

§ 11.

Priusquam ad ea quae recentiores Atticorum scriptores mutaverunt enarranda aggrediar, videtur dicendum esse de Attici mythi origine.

Fuisse tempus, quo Minoe regnante Creta praeter ceteras terras legibus institutisque floreret[3]), omnes pro certo habebant. Si litterarum monumenta evolvimus Minois temporibus Cretam insulam vel in adiacentes terras dominationem propagavisse atque maris Aegaei imperium obtinuisse cognoscimus[4]). Sub idem tempus etiam Athenienses a Minoe superati in Cretae insulae diciönem venerunt atque nono quoque anno septem pueros totidemque puellas in Cretam mittere coacti sunt[5]).

1) De Ariadnes persona qualem expresserit poeta Jahnius (Archäolog. Beiträge p. 252) nonnulla eaque plane plausibilia protulit.

2) cfr. C. Lange: de nexu inter C. J. Hygini opera mythol. et fabularum librum p. 40.

3) Minoem Cretum leges sanxisse et insulam legibus et institutis constituisse tradunt Cic. de re publ. II 2; Tuscul. disp. II 34; Arist. polit. II 10; Strabo X p. 476; Paus. III 2, 4; Apollod. III 1, 2; Polyb. VI 45; Diodor. I 94, 1; Luc. Anach. 39; fragm. hist. Graec. II p. 211; Cramer: anecdot. Graec. II 194, 18; Justin. XX 4, 4; Marmor Par. 21. Centum urbes insulae fuisse iam in Homeri carminibus (Odyss. XIX 172 sqq.) commemoratum est. cfr. Hygin. fab. 276; Stat. Theb. XII 665 sqq.; Verg. Aen. III 106; Hor. carm. III 27, 33; epod. IX 29; Ovid. Heroid. X 67; Isid. orig. XIV 6, 15; Phil str. heroic. VIII; epist. V.

4) Herod. I 171; III 122; Thuc. I 4; I 8; Apollod. III 1, 4; fragm. histor. Graec. II 131 fragm. 88a; Arist. Pol. II 72; Strabo XIV p. 661; Paus. I 27; Diod. V 84, 1; Mythogr. Vat. I 172; II 120. cfr. Hoeck: Creta II p. 201 sqq.; Bursian: Geographie von Griechenland II p. 352.

5) De obsidum numero consentiunt veterum testimonia. Plut. Thes. 15: ἠϊθέους ἑπτὰ καὶ παρθένους τοσαύτας. Hygin. fab. 41: ut septenos liberos

Atque huius modi factum ab ultima vetustate repetitum atque primordiis tantum historiae adumbratum mox in fabularum varietate quasi reconditum sepositumque videmus, ut difficile sit dictu, utrum ea, quae sunt tradita, re vera sint gesta an ficta. Hoc unum constat neque iniuria cum a veterum tum recentiorum scriptoribus creditur, Athenienses olim in Cretum dicione fuisse atque obsides dedisse.

Recte viri docti hanc Atheniensium missionem ad vetustissimum Cretum caeli cultum referendam esse existimant [1]). Totam Minois stirpem cum caeli cultu artissime coniunctam [2]) videmus facileque perspicitur, talem cultum, praesertim cum Creta imperium in adiacentes terras propagavisset, mox etiam ad alios delatum esse; atque mirum esse non potest, Athenienses quoque Cretibus obnoxios obsides ad dies festos eorum misisse. Ut accuratius rem definiam complectarque initio homines in Creta immolatos esse [3]) in memoriam revoco; qua

---

mitterent; astron. II 5: cum Theseus Cretam cum septem virginibus et sex pueris venisset. Eadem tradunt Verg. Aen. VI 21; Serv. ad l; Plat. Phaed. 58A: Isocrat. X 27; Diod. IV 61, 3; Apollod. III 15, 8; Paus. I 27, 9; Eustath. ad Odyss. XI 320; Tzetz. Chil. XI 556 et 563. Nomina ipsorum obsidum a Servio ad Verg. Aen. VI 21 tradita restauravit emendavitque O. Jahnius (Archäolog. Beiträge p. 453 et Beschreib. der Vasensamml. König Ludwig's p. CXVIII not. 862). In vase, quod vulgo vocatur ‚François-Vase' nomina sunt obsidibus singulis adscripta. cfr. O. Jahn: Archäolog. Beiträge p. 275 et monumenti ined. d. inst. IV tav. LVI.

[1]) Hoeck: Creta II p. 106; Ribbeck l. l. p. 6; Preller: Griech. Mytholog. II p. 123 sqq.

[2]) Ἀστερίων vel Ἀστέριος (nomen duplici modo efferri solet. cfr. Nonn. Dionys. I 354; II 695; Tzetz. Chil. I 473; Diod. IV 60, 2 et 3; Apollod. III 1, 2; Schol. Il. XII 397), maritus Europae, pater est Minois, quem sane plurimi a Jove ex Europa genitum perhibent. Minotaurum ipsum Asterionem vel Asterium appellatum esse testantur Paus. II 31, 1; Apollod. III 1, 3; Lycophr. Al. 1301; hoc loco est Ἀστέριος dux copiarum Minois. cfr. Nonn. Dionys. XXXV 385; XXXVII 765. Haec nomina ad unum omnia nec non Pasiphaes, Minois coniugis, ex coeli cultu originem traxisse quem fugit? Sed quorsum haec tam multa de re nemini dubia? Proferre possum alia veluti vaccam albam, de qua Prellerus (Griech. Mythologie II p. 120) verba fecit. Sed haec hactenus.

[3]) Hoeck l. l. I p. 165; Movers: Die Phönizier I p. 372 sqq.; Stephani: Kampf des Theseus mit dem Minotaurus p. 22; Preller: Griech. Mythologie

de causa eo facilius apud Athenienses de liberorum caede fabulae oriri poterant. Minotaurum, ut verbo barbaro sed ad sensum aptissimo uti liceat, symbolice solis deum acceperunt [1]) hominumque sacrificiis eum placandum esse censuerunt. Inclusa autem cogitabatur bestia labyrintho, quem et ipsum veteres recte ad solis cultum retulerunt [2]). Num re vera Atheniensium liberi olim immolati sint, diiudicari vix poterit [3]) Hoc vero constat, ab Atheniensibus, cum veterum sacrificiorum humanorum recordarentur, fabulas de horribili obsidum in labyrintho interitu in eam formam redactas esse, quam Attici scriptores tradiderunt. His solis debentur de labyrintho fabulae, quamvis nulla eius extiterint vestigia [4]).

II p. 124 not. 3; Hartung: Die Religion der Griechen II p. 247. Testimonia veterum extant compluria. Afferam Istri nuntium apud Porphyr. abst. II. 56: Ἴστρος ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν Κρητικῶν θυσιῶν φησι τοὺς Κουρῆτας Κρῆτας) τὸ παλαιὸν τῷ Κρόνῳ θύειν παῖδας.

[1]) Nihil aliud est Minotauri cultus, quam notissimi cultus apud Orientales populos continuatio. Deum intellego, qui ‚Moloch' nominabatur. Moversius l. l. p. 277 sqq. omnem dubitationem removit demonstrans, etiam hunc Semitarum deum tauri caput habuisse.

[2]) Plin. nat. hist. XXXVI 84 labyrinthum in Aegypto Soli sacrum exstructum esse dicit, unde utique sumpsisse Daedalum exemplar labyrinthi Cretensis. cfr. Diod. I 61, 3: φασί δέ τινες καὶ τὸν Δαίδαλον εἰς Αἴγυπτον παραβαλόντα καὶ θαυμάσαντα τὴν ἐν τοῖς ἔργοις τέχνην κατασκευάσαι τῷ βασιλεύοντι τῆς Κρήτης Μίνῳ λαβύρινθον ὅμοιον τῷ κατ᾽ Αἴγυπτον κ. τ. λ. Prellerus: Griech. Mythol. I p. 124 coeli imaginem esse labyrinthum persuasum habet innumerabilibus erroribus siderum itinera imitantem, quae sententia est reicienda, ut demonstravit Lollingus: de Medusa p. 14.

[3]) cfr. Preller: Griech. Mythol. II p. 295.

[4]) Formam describit Plin. nat. hist. XXXVI 85 his verbis: Itinerum ambages occursusque ac recursus inexplicabiles continet crebris foribus inditis ad fallendos occursus redeundumque in errores eosdem. Similia apud Isidorum (orig. XV 2, 36) reperiuntur. cfr. Etym. Magn. s. v. λαβύρινθος; Diod. IV 77, 4; I 61, 2; Hygin. fab. 40. Labyrinthum nunquam fuisse iam veteres agnoverunt. Diod. I 61, 4: ἀλλ᾽ ὁ μὲν κατὰ τὴν Κρήτην ἠφανίσθη τελέως κ. τ. λ.; Plin. nat. hist. XXXVI 90: nulla eius vestigia extant. cfr. Philostr. Apoll. IV 34; imag. I 14, 3. Eadem iudicant recentiores. Hoeck l. l. I p. 56; II. p. 96; Bursian: Geographie von Griechenl. II p. 560 not. 2; Stuhr: Religionsformen der heidnischen Völker II p. 157; Preller: Griech. Mythologie II p. 124.

De temporis intervallo dissentiunt scriptores, cum alii quotannis alii nono quoque anno obsides ab Atheniensibus missos esse perhibeant. Eorum testimonio sine dubio maior est fides habenda, qui nono quoque anno [1]) vectigal datum esse tradunt, id quod certissimis evinci potest testimoniis. Quod quo facilius perspiciatur, altius paulo rationem argumentorum meorum repetam necesse est.

Lustralis cuiusdam speciei est sine dubio haec Atheniensium liberorum missio. Athenienses Androgeo interfecto scelere sese obstrinxerant iramque deorum placare debebant. Comparata Atheniensium obsidum missione cum similibus quae in Graecia reperiuntur lustrationibus et purgationibus facillime lustri Cretensis status perspicitur. Apprime huc facit fabula de Pythone ab Apolline interempto [2]). Apollo draconis sanguine maculatus nono quoque anno denuo sese expiasse credebatur [3]). Cadmum cum draconem, Martis filium, interfecisset, per annum magnum, qui tum ex octo annis constabat, Marti serviisse cum alii tum Apollodorus tradunt [4]). Hercules quoque cum suos ipse filios ex Megara procreatos in ignem coniecisset atque duodecim labores ab Apolline [5]) perficere iussus esset, hos labores unius mensis et octo annorum spatio Apollodoro teste [6]) peregit.

Possum alia quoque afferre exempla, sed sufficiunt haec,

[1]) Plut. Thes. 15: ὥστε πέμπειν δι' ἐννέα ἐτῶν δασμόν, qui nuntius ex veterum logographorum narrationibus est petitus ut supra demonstravi. Consentire de hac re omnes fere veterum scriptores addit Plutarchus. Diod. IV 61, 3: δι' ἐτῶν ἐννέα. Ovid. met. VIII 171: tertia sors annis domuit repetita novenis.

[2]) Preller: Griech. Mythologie I p. 229; Welcker: Griech. Götterlehre I p. 520 sqq.

[3]) Steph. Byz. s. v. Δειπνίας; Ael. var. hist. III 1.

[4]) bibl. III 4, 2: Κάδμος δὲ ἀνθ' ὧν ἔκτεινεν ἀΐδιον ἐνιαυτὸν ἐθήτευσεν Ἄρει· ἦν δὲ ὁ ἐνιαυτὸς τότε ὀκτὼ ἔτη.

[5]) Delphos profectus ubinam sibi habitandum esset sciscitatus erat. cfr. Apollod. II 4, 12.

[6]) bibl. II 5, 11: τελεσθέντων δὲ τῶν ἄθλων ἐν μηνὶ καὶ ἔτεσιν ὀκτώ κ. τ. λ.

ut demonstrem, hoc temporis spatium, quod ennaeteridem [1]) vocabant veteres, apud Graecos notissimum fuisse [2]). Censorino auctore [3]) hunc annorum circuitum verum annum magnum apud Graecos fuisse tradente, multae in Graecia religiones ob hoc temporis intervallum summa caerimonia colebantur. Quam ob rem nonnihil causae fuisse videtur, ut Cretensis tributi missio ad idem temporis intervallum revocaretur obsidesque nono quoque anno darentur.

Quae cum ita sint, parvi aestimandus est eorum nuntius, qui quotannis obsides missos esse tradunt. Ita apud Apollodorum [4]), Vergilium [5]), Hyginum [6]), Mythographos Vat. [7]) legimus. Error fortasse ita ortus est, ut rerum scriptor aliquis hunc Graecorum annum magnum intellegens κατὰ ἔτος scripserit, id quod ab Apollodoro III 15, 9 factum esse puto. Apollodorus enim se hunc annum magnum Graecorum non ignorasse ipse indicat III 4, 2: ἀΐδιον ἐνιαυτὸν ἐθήτευσεν Ἄρει· ἦν δὲ ὁ ἐνιαυτὸς τότε ὀκτὼ ἔτη. cfr. II 5, 11. Posteriores huius rei ignari quotannis missos esse obsides falso interpretati sunt.

Hyginus sane quantum equidem video non ambigendum est, quin ‚anno nono quoque' scripserit. Etenim hoc unum constare videtur, eum tragicorum fabulas ad Ariadnes mythum spectantes accuratissime perquam breviter expressisse. Cum vero tragici et ipsi, ut supra demonstravi, vetustiorem mythi formam secuti sint, nulla relinquitur dubitatio, quin genuina Hygini lectio ‚anno nono quoque' a librario quodam in peius mutata sit. Plutarchus in Thesei vita c. 15 ipse testatur,

[1]) Re vera fuit octaeteris, quae, ut ait Censorinus (de die nat. 18), ennaeteris vocitata est, quia primus huius octaeteridis annus nono quoque anno rediret.

[2]) Hoeck l. l. II p. 120 et 247; O. Mueller: Dorier II p. 242; Minyer p. 218 sqq.

[3]) de die nat. 18.

[4]) bibl. III 15, 9: κατ' ἔτος ἔπεμπον.

[5]) Aen. VI 21: septena quotannis corpora natorum. cfr. Servium ad l.

[6]) fab. 41: ut anno unoquoque septenos liberos mitterent.

[7]) I 43: ut singulis quibusque annis .... mitterent. Eadem leguntur II 122. cfr. II 124.

omnes fere scriptores de Atheniensium vectigali consentire neque est dubium, quin Plutarchus, si discrepantia quaedam de annorum numero inter scriptores, quibus usus est, extitisset, huius rei mentionem facturus fuerit, praesertim cum Ariadnes mythum tractans omnes fere quot fuerint de fabula sententias accuratissime enarret. Plutarchus sequitur potissimum logographos atque eos, qui Atthidas confecerunt. Saepissime fontes, unde hauserit, non nominat, ut c. XV, quamquam, quin optimis usus sit fontibus, dubium esse nequit.

§ 12.

Iam sequitur, ut ea explanem, quae Ariadnes cum Theseo coniunctionem effecerint. Theseum ob multas res ab ipso praeclare gestas inde a logographorum aetate celebratum esse iam supra diximus. Erat heros optime de patria meritus atque praeter ceteros dignus esse videbatur, cui tributi aboliti laus tribueretur[1]. Nihil aliud significant fabulae de Thesei itinere Cretensi quam remissionem tributi ab Atheniensibus tandem patratam[2]. Atheniensibus iam diu tributo liberatis, Theseus ipse in Cretam profectus esse et Minotauro necato[3] poenae finem fecisse dicebatur, neque mirum esse potest, tot fabulas expeditioni tam periculosae affixas esse. Ac primum quidem Theseo divino quodam auxilio ad eiusmodi facinus patrandum opus erat[4]; nisi dei vel deae alicuius benevolentia atque ope talia ei contingere non poterant. Qua re facillimum erat Theseum cum Ariadne coniungere. Haec dea, cum Bacchi esset coniux, Atheniensibus haudquaquam ignota erat nec non maxime idonea videbatur esse, quae Theseo auxilium ferret.

[1]) cfr. Hoeck l. l. II p. 109 sqq.; Ampel. lib. memor. c. XV 4; Hygin. fab. 38 et 42; Isocrat. X 23; μόνοι γὰρ οὗτοι (Ἡρακλῆς καὶ Θησεύς) τῶν προγεγενημένων ὑπὲρ τοῦ βίου τοῦ τῶν ἀνθρώπων ἀθληταὶ κατέστησαν.

[2]) Quo tempore Athenienses hac nova Minotauri interempti laude Theseum cumulaverint in antecedentibus disserui. De causis remissionis dissentiunt adhuc viri docti. cfr. Ribbeck l. l. p. 6; Hoeck l. l. II p. 114 sqq.; Preller: Griech. Mythologie II p. 295; Milchhöfer: Ueber den attischen Apollo p. 41.

[3]) Pomp. Mel. II 112.

[4]) Iuvat res ab Hercule Minerva adiutrice gestas comparare.

Qua de causa Atheniensium animis nemo magis blandiri poterat quam is, qui fabulam promeret, quae heroem ipsorum a Bacchi coniuge adamari faceret talemque comitem Theseo tribueret. Augebaturque Thesei laus ea re, quod Ariadne Theseo conspecto singulari in iuvenem amore incensa dicebatur. Quo facto prorsus aliam Ariadne indueret personam ac speciem necesse erat. Quae antea fuerat naturalis speciei dea atque Bacchi coniux, iam induit personam virginis pulcherrimae[1] et amantissimae ac Veneri[2] magnam partem appropinquantis. Talem praedicant Ariadnen poetae scriptoresque, talem repraesentant artis monumenta creberrima. Itaque factum est, ut heroidis ut ita dicam naturam acciperet ab initio ab ipsa prorsus alienam. Neque tamen quae propria fuerat deae natura haec plane erepta est, nisi forte quis negat Thesei decessioni, quam in Dia insula fuisse tradunt, graviorem subesse causam quam vulgo credatur. Causam enim aliquam decessionis fuisse vix negaveris. Reicienda sunt sane ac plane improbanda, quae postea scripta sunt[3], ut deserendi causae aperirentur; nam sunt merae poetarum vel scriptorum coniecturae, quae maximam partem ne speciem quidem veritatis prae se ferunt. Qui genuinam deserendi causam investigare conabitur, me quidem iudice minime a vero aberrabit, si ad rem recte diiudicandam a genuina Ariadnes specie et natura profectus erit. Naturalis deae Ariadnen a primordio habuisse speciem iam supra demonstravi. Dolorem et gaudium, mortem et vitam afferre putabatur, id quod dies festi in deae honorem

[1]) Charito I 6, 2; IV 1, 8; Petron. sat. 138. Nonnus XLVII 315.

[2]) A. Mommsenus (Heortologie p. 401) eadem coniectat. Parraro hucusque viri docti huius rei mentionem fecerunt (Ribbeck l. l. p. 7; Hoeck l. l. II p. 146 sqq.; Preller: Griech. Mythol. II p. 295), quamvis certissima extent indicia. In Cypro insula lucus quidam Ariadnes-Veneris appellabatur (Plut. Thes. 20). Apollo Delphinius Theseo mandaverat, ut ducem Venerem nempe Ariadnen sumeret eamque invocaret. Demonstrant haec, iam veteres Thesei coniugem aliqua ex parte cum Venere coniunxisse. Quae res nihil habet insoliti, cum et alibi veterum deos in eadem re duplici et nomine et potestate accipi videamus. Optime de hac re verba fecit Macrob. Saturn. I 17.

[3]) cfr. p. 48.

celebrati demonstrant. Atque haec deae species etiamtum remansisse videtur, cum coepta est cum Theseo coniungi. Adeo non natura ab initio deae propria removeri potuit atque obscurari, ut Ariadnen a Theseo relictam atque hanc ob rem flebiliter querentem fingerent; atque hoc propterea est factum, ne quid deesset, quo naturalis deae luctus exprimeretur.

Ceterum divulgata Atticorum fabula fieri non potuit, quin genuinus de Ariadne mythus aut prorsus immutaretur aut obscuraretur; cuius rei multa extant indicia. Ac primum quidem qui Ariadnes et Bacchi filii ab initio esse putabantur, eos postea Theseo attribui comperimus, veluti Staphylum et Oenopionem [1], quamvis nomina eorum Bacchum patrem dilucide indicent [2]. Deinde non defuerunt, qui coronam, quam Bacchus, ut supra diximus, Ariadnae dono dederat, Thesei esse donum dicerent. Pausanias memoriae tradidit [3] Minoem, cum Theseum ceteramque puerorum manum in Cretam duceret, amore Periboeae [4], quae in obsidum erat numero, captum esse; cuius libidini cum Theseus adversaretur [5], Minoem ira incensum et alia in Theseum maledicta contulisse et eum Neptuni filium esse negavisse. Cum igitur non iam de puella sed de genere Thesei extitisset controversia diiudicandumque

---

1) Plut. Thes. 20: Ἔνιοι δὲ καὶ τεκεῖν ἐκ Θησέως Ἀριάδνην Οἰνοπίωνα καὶ Στάφυλον· ὧν καὶ ὁ Χῖος Ἴων ἐστίν. cfr. fragm. histor. Graec. II p. 50 fragm. 13.

2) cfr. quae supra de his nominibus dixi.

3) I 17, 3; eadem fere reperiuntur apud Hyginum astr. II 5.

4) Hyginus l. l. Eriboea pro Periboea (confunduntur nomina in libris manu scriptis; cfr. Bunte in adnot. ad l.) scripsisse propterea credendum est, quod varias de Ariadne fabulas narrans semper ad optimos sese applicuit scriptores. Quapropter non est ambigendum, quin et astron. II 5 et fab. 97 Eriboea scripserit, quae est vetustissima nominis forma (cfr. Pind. Isthm. V 65 ed. Christ et Sophocl. Ai. 569 ed. Schneidewin). Postea alteram nominis formam ‚Periboea‘ usitatiorem fuisse demonstrant Paus. I 17, 3; 42, 1; Apollod. III 12, 7; Serv. ad Verg. Aen. VI 21. In vase, quod vulgo vocatur ‚François-Vase‘, item Periboea non Eriboea scriptum fuisse verisimillimum est. cfr. O. Jahn: Archäolog. Beiträge p. 275 et monument. ined. d. inst. IV tab. LVI.

5) Dicit enim Hygino teste, sese Neptuni filium contra Minoem tyrannum disceptare valere.

esset, utrum Neptuni esset filius Theseus necne, Minoem anulum aureum de digito detraxisse et in mare proiecisse, quem si Theseus retulisset fore, ut Theseum esse Neptuni filium crederet. Theseum vero [1] et cum anulo et cum corona ab Amphitrite accepta emersisse. Quae Pausanias nisi manca nobis non reliquit Hyginus l. l. uberiora promit dicens, Theseum coronam a Neptuni uxore acceptam Ariadnae dono dedisse, cum ei propter virtutem et animi magnitudinem uxor esset concessa. Nec non fuerunt, qui Theseum hanc coronam secum portantem ex labyrinthi tenebris ad lucem venisse dicerent [2], quae fabulae versio demonstrat, coronam iam Ariadnes fuisse, cum Theseus in Cretam venisset, comprobaturque genuina fabulae forma ita, ut Ariadne a Baccho coronam accepisse putanda sit.

§ 13.

His rebus enarratis et explicatis, quoniam ad fabulam recte intellegendam videbantur necessariae, iam in eo est, ut ad eorum inventa accedam, qui Pherecyde, Hellanico, poetis tragicis natu minores peculiaribus libellis res Atheniensium conscripserunt. Negant hi Atthidum scriptores Minotaurum Atheniensium liberos devorasse. Etenim cum recte intellegerent, Minoem et ab Homero et ab Hesiodo summis laudibus elatum [3] adhuc iniuria maculis [4] adspersum esse, id praecipue egerunt, ut qualem Homerus et Hesiodus Minoem versibus persecuti essent, talem restituerent. Qua in re et Minotauri et labyrinthi species et natura immutarentur oportuit.

---

1) Plura de hac re Hyginus l. l. profert, cum dicat, Theseum lenissimis fluctibus ad Nereidas perductum ab his Minois anulum et a Thetide coronam retulisse, quam compluribus gemmis lucentem a Venere muneri accepisset.

2) Eratosthen. catast. V; Hygin. astron. II 5.

3) Plut. Thes. 16: Καὶ οὔτε Ἡσίοδος αὐτὸν ὤνησε, βασιλεύτατον, οὔτε Ὅμηρος, ὀαριστὴν Διὸς προσαγορεύσας. cfr. Hom. Od. XIX 178 sqq.

4) Plut. Thes. 16: Ἀλλ᾽ ἐπικρατήσαντες οἱ τραγικοὶ πολλὴν ἀπὸ τοῦ λογείου καὶ τῆς σκηνῆς ἀδοξίαν αὐτοῦ κατεσκέδασαν ὡς χαλεποῦ καὶ βιαίου γενομένου.

Clidemi, omnium, qui Atthides scripserunt, vetustissimi [1]) sententia de Thesei expeditione Cretensi praeter ceteras est digna, quae examinetur. Plutarchus [2]) de fabulis Theseis verba faciens postquam Pherecydis nonnullorumque aliorum sententias exposuit, peculiari modo et curiosius Clidemum alte repetentem de fabula Thesea disseruisse adiungit. Secundum Clidemum Deucalio, Minois filius, Atheniensibus irascens, cum pater decessisset, postulaverat, ut Daedalus sibi dederetur. Quod si Athenienses non facerent, se quos obsides Minos ab Atheniensibus accepisset interfecturum esse minitabatur. Huic quidem leniter respondit Theseus, consobrinum suum esse dicens Daedalum atque sanguine secum coniunctum. Tamen occulte naves aedificare instituit. Quibus comparatis in Cretam solvit Daedalum exulesque Cretenses duces secum habens et portum praeter omnium opinionem Cretibus naves socias adventare arbitrantibus occupavit. Deinde navibus relictis celeriter Cnossum contendit proelioque in labyrinthi portis commisso Deucalionem cum satellitibus interfecit. Cum vero Ariadne regni procuratrix facta esset, cum ea hac condicione foedus ictum est, ut Theseus ipse obsides reciperet atque Atheniensibus amicitia cum Cretibus reconciliaretur, qui nunquam se Atheniensibus bellum moturos esse iuraverant. — Clidemum fabulam hoc modo narrantem Minotauri ne mentionem quidem fecisse videmus [3]). Tributum, quod nono quoque anno Minoi datum esse veteres tradiderant, in vectigal semel tantum a Minoe postulatum immutatum est. Atque Ariadne et ipsa hoc modo prorsus alia extitit.

Demo, qui ante Philochorum floruit, pauca tantum mutavisse et maximam partem Clidemum secutus esse videtur, ita tamen, ut non Deucalionem, ut Clidemus, sed Taurum a Theseo

[1]) cfr. Mueller: fragmenta histor. Graec. I praef. p. LXXXII et LXXXVI.

[2]) Thes. 19; fragm. hist. Graec. I p. 359 sqq.

[3]) Aristoteles et ipse negavit Atheniensium liberos interfectos esse teste Plutarcho (Thes. 16): Ἀριστοτέλης δὲ καὶ αὐτὸς ἐν τῇ Βοττιαίων πολιτείᾳ δῆλός ἐστιν οὐ νομίζων ἀναιρεῖσθαι τοὺς παῖδας ὑπὸ τοῦ Μίνω, ἀλλὰ θητεύοντας ἐν τῇ Κρήτῃ καταγηράσκειν.

interfici faceret [1]); Minotaurum mutat in Taurum, Minois ducem, quem a Theseo proelio navali commisso interfectum esse [2]) perhibet.

Accedo nunc ad Philochori inter Atthidum scriptores doctrina et iudicio longe clarissimi inventum, quod quale sit hinc conabor exponere.

Philochorus primus Theseo novam gloriam videtur quaesivisse narrans suapte sponte ac voluntate eum sese obtulisse, ut in Cretam mitteretur [3]). Secundum Hellanicum Minos ipse obsides sibi delegerat. Addit Philochorus, obstupuisse cives et delectatos esse tanto Thesei amore erga cives suos, quem etiam patris precibus et obsecrationibus immotum vidissent. Deinde auctor est Philochorus [4]) custodiam fuisse labyrinthum, qui nihil mali habuisset, nisi quod non possent inde effugere custoditi, et Minoem in Androgei memoriam certamina gymnica fecisse victoribusque praemio dedisse liberos interim in labyrintho asservatos. Vicisse autem prioribus certaminibus eum, cuius fuisset id temporis prima apud Minoem auctoritas, nomine Taurum, militiae praefectum, [5]) cuius feri fuissent mores. Eadem referunt Eusebius et Syncellus [6]), qui addunt, cum Theseus quoque in certamine contendisset, et Taurum devictum esse et evenisse, ut non solum pueri Atheniensium servarentur sed etiam urbs poena liberaretur. Maximi denique momenti est Philochori fragmentum apud Plutarchum [7]), quo docemur, in invidiam hominum incurrisse

[1]) Plut. Thes. 19; fragm. hist. Graec. I p. 378.

[2]) Plut. Thes. 19: Δήμων δὲ καὶ τὸν Ταῦρον ἀναιρεθῆναί φησι τὸν τοῦ Μίνω στρατηγὸν ἐν τῷ λιμένι διαναυμαχοῦντα τοῦ Θησέως ἐκπλέοντος.

[3]) Recte Gilbertus l. l. p. 58 ea, quae Plutarchus initio cap. 17 Thes. vitae narrat, Philochoro tribuit.

[4]) Plut. Thes. 16; fragm. hist. Graec. I p. 390 fragm. 38: Φιλόχορος δέ φησιν οὐ ταῦτα συγχωρεῖν Κρῆτας, ἀλλὰ λέγειν, ὅτι φρουρὰ μὲν ἦν ὁ Λαβύρινθος οὐδὲν ἔχων κακόν, ἀλλ' ἢ τὸ μὴ διαφυγεῖν τοὺς φυλαττομένους κ. τ. λ.

[5]) Minois ducem fuisse Minotaurum iam Demo scripserat. cfr. Crameri anecd. Paris. II p. 146, 24. Crevisse postea inventorum copiam ea demonstrant, quae Palaephatus de incredib. II de eadem re narravit.

[6]) fragm. hist. Graec. I p. 390 fragm. 39.

[7]) Thes. 19; fragm. histor. Graec. I p. 391.

Taurum, cum in certaminibus, quae ederet Minos, omnes victurus esse putaretur. Potentiam enim eius ob mores invisam fuisse criminique ei datum esse, quod consuetudinem haberet cum Pasiphae. Qua re Theseum certamen cum Tauro petentem a Minoe admissum esse. Cum autem mos esset apud Cretes, ut et feminae spectaculis interessent, Ariadnen praesentem obstupuisse cum Theseum conspiceret virtutemque eius in certando omnes superantis admiratam esse. Minoem vero ipsum gavisum, quod Taurus cum ignominia prostratus esset, ob eam rem et Theseo liberos restituisse, et Atheniensibus tributum remisisse. — Quae cum ita sint prorsus alias apud Philochorum esse Ariadnes partes atque apud Pherecydem mirum esse non potest. Nam Minotauro et labyrintho, unde Theseus exire non poterat nisi Ariadnes auxilio, plane immutatis vel abiectis, Ariadne ipsa a fabula paene aliena videtur esse [1]).

Reliqua Plutarchi testimonia hoc loco addere propterea e re erit, quod Istrum maximam partem varias de Ariadne fabulas narrans secutus est. Qualia fuerint Istri opera et cur Plutarchus praeter ceteros Atthidum scriptores, quos modo enumeravi, Istrum secutus esse putandus sit, ad Gilbertium [2]) provoco, cum doctissimus ille vir omnia probabiliter mihi disputasse videatur.

Ister, cum recentiores Atthidum scriptores praecipue Philochorum sequens in horum scriptis de Ariadne a Theseo deducta atque derelicta nihil reperiret, id maxime videtur egisse, ut eas de Ariadne fabulas colligeret, quae singulis locis Ariadnes cultu florentibus ortae erant. Concedendum sane erit, Plutarchum, cum Istri libello uteretur, haudquaquam verbum e verbo expressisse. Immo et aliunde petita addidit;

[1]) Fusius Isocrates quoque X 23—28 de fabula Thesea scripsit, ita tamen, ut Ariadnen prorsus omitteret. Quae res mihi monstrare videtur, et Isocratem et Atthidum scriptores, cum genuinum de Ariadne, Bacchi coniuge, mythum minime ignorarent, consulto Ariadnes personam in fabula Thesea enarranda neglexisse.

[2]) Philol. XXXIII p. 48 sqq.

qua re factum est, ut ea, quae inde a capite XX Theseae vitae narrantur, incomposita inordinataque videantur [1]).

§ 14.

Maris Aegaei insulas, cum Ariadnes cultu inde ab antiquissimis temporibus florerent, aliam aliter de Ariadne mythum transformavisse non est, quod negemus. Quod tum maxime factum esse, cum Atheniensium fabulae de Thesei et Ariadnes amore et scriptis et sermonibus vulgatae erant, ex iis optime perspicitur, quae a Cypri insulae incolis ficta erant.

Plutarchus ea omittens, quae maxime decantata atque omnibus nota essent, singularem Paeonis Amathusii [2]) fabulam promit, unde Ariadnen Cypri insulae propriam cognoscimus. Theseum, ait Paeon, tempestate Cyprum delatum, cum gravidam secum duceret Ariadnen, hanc solam male affectam ex iactatione et languentem exposuisse, ipsumque in altum rursus a terra ablatum esse. Feminas autem indigenas excepisse Ariadnen maestamque, quod sola esset relicta, fovisse ac litteras ei obtulisse fictas, velut a Theseo ad eam missas: auxiliantes denique eas praesto fuisse in partu atque defunctam partu non edito sepultura affecisse. Quo facto Theseum revertisse maestumque indigenis pecuniam reliquisse, ut sacra facerent Ariadnae. Praeterea eum duo Ariadnae parva simulacra posuisse, alterum argenteum, alterum aeneum. In sacris autem, quae mensis Gorpiaei secundo die celebrarentur, adulescentem quendam decumbentem voce ac gestu feminas parturientes imitatum esse. Amathusios vero lucum, in quo mortuae tumulum ostenderent, Ariadnae-Veneris appellavisse.

Nec non in Chio insula multa de Ariadne videntur fabulati esse. Ion Chius [3]) retulit, peperisse Ariadnen ex Theseo Oenopionem et Staphylum, qui Bachi quoque filii esse ferebantur [4]). Oenopionem vero Chiorum patriam condidisse, Ion

[1]) Plutarchus ipse haec praemittit: Πολλοὶ δὲ λόγοι καὶ περὶ τούτων ἔτι λέγονται καὶ περὶ τῆς Ἀριάδνης οὐδὲν ὁμολογούμενον ἔχοντες.

[2]) Plut. Thes. 20; fragm. hist. Graec. IV p. 371 fragm. 2.

[3]) Plut. Thes. 20; fragm. hist. Graec. II p. 44.

[4]) cfr. Apollon. Aphrodis. fragm. hist. Graec. IV p. 314.

gloriatus erat cum diceret: Τήν ποτε (scil. πατρίδα) Θησεΐδης ἔκτισεν Οἰνοπίων.

Ceterum Ion Chius, si ea respicimus, quae Plutarchus paulo post narrat, Atticorum scriptorum fabulam maxime decantatam videtur secutus esse.

Praeter ceteras maris Aegaei insulas in Naxo quoque, cum insula inde ab antiquissimis temporibus Ariadnes cultu floreret[1]. Atticorum inventa ad fabulam Ariadnes transformandam multum valuerunt. Ibi Ariadnen a Theseo relictam esse multi tradunt, iniuria quidem; nam locum deserendi non Naxum sed Diam fuisse haud procul a Creta sitam supra demonstravi[2]) Nec non fuerunt, qui fabularentur, Ariadnen a Theseo in Dia insula relictam atque a nautis Naxum deportatam cum Oenaro quodam, Bacchi sacerdote, consuevisse[3]. Naxios denique scriptores Ariadnes et Bacchi coniugium vetustissimum haud ignorasse, cum Atticorum inventa fabulae genuinae adaptare conarentur, ex eiusdem Plutarchi verbis perspicitur, qui dicit, a Naxiis aliter atque ab aliis traditum esse, duos Minoas duasque Ariadnas fuisse, quarum alteram Baccho nupsisse in Naxo insula et Staphylum peperisse, alteram eamque natu minorem a Theseo raptam esse desertamque Naxum venisse. Hanc Ariadnen ibi mortuam non eosdem obtinere honores atque Ariadnen natu maiorem. Huic enim ab hilaribus ludibundisque celebrari dies festos; Ariadnes vero natu minoris sacra cum luctu quodam et maestitia coniuncta esse.

Ad extremum, ne quid mythi praetermittam, Deliorum inventa qualia fuerint conabor explicare. Plutarchi[4] nuntium primum proferre conducit, qui narrat, solventem ex Creta Theseum ad Delum venisse et navem appulisse ibique Apollini sacris factis dedicatoque Veneris signo, quod ab Ariadne acceperit, tripudium cum iuvenibus saltavisse, quod ibi usque ad

[1]) Verg. Aen. III 125: Bacchatamque iugis Naxum viridemque Donusam (linquimus).

[2]) Scriptorum errores eo facilius oriri poterant, quod Naxo insulae et ipsi olim nomen Diae fuerat.

[3]) Plut. Thes. 20.

[4]) Thes. 21. cfr. fragm. hist. Graec. II p. 250 fragm. 49.

Plutarchi tempora factum sit. Hac saltatione imitatos esse Delios labyrinthi anfractus et ambages atque hoc saltationis genus Dicaearcho auctore ‚γέρανος' nominavisse.[1]) Saltasse autem Theseum circa aram Ceratonem, quae ex cornibus sinistris fuerit compacta. Certamina quoque eum ibi edidisse victoresque ab eo tum primum palmae ramis donatos esse. Secundum Pausaniam[2]) Daedali opera enumerantem apud Delios eiusdem artificis Veneris signum fuit e ligno fabricatum; non ita magnum sane et dextera eius manus vetustate corrupta fuit. Hanc figuram, quae pedum loco in quadratum desiisset, Ariadnen cum Theseo aufugientem secum asportavisse. Theseum vero — sic Pausanias pergit Delios scriptores sequens — Ariadne adempta deae simulacrum Apollini Delio dedicasse, ne, si illud retinuisset, sibi patriae reddito Ariadnes desiderium commoveretur atque ipse hoc modo puellae recordatus novis amoris aculeis ureretur. Etiam templum Veneri in Delo insula dedicavisse Theseus ferebatur[3]), cum gratificaretur deae ob res bene gestas.[4])

Sufficiunt haec, ut demonstrem, fabulam Atticam celeriter omnibus totius Graeciae locis notam fuisse. Placebat fabula de Ariadne deserta omnibus, maximeque poetae virginem flebilibus modis concinnebant decantabantque et causa deserendi iam diu obscurata et ignorata, multa fingebantur, immutabantur, depravabantur. Itaque nullus alius mythus tantam habet varietatem quantam de Ariadne a Theseo relicta. Alii dicebant, sese suspendisse Ariadnen, cum a Theseo relicta esset[5]), alii, deportatam eam esse a Theseo ex Naxo in Donusiam insulam, cum Minos pater eam persequeretur, ut recuperaret filiam[6]). In eo maxima est inter scriptores dissensio, utrum suapte sponte an necessitate quadam coactus reliquerit

[1]) Eadem reperitur fabula apud Callimachum hymn. Del. 307 sqq.; cfr. schol. ad l. l. v. 308.

[2]) IX 40, 2.

[3]) Schol. ad Callim. hymn. Del. 307.

[4]) cfr. quae p. 39 not. 2 disserui.

[5]) Plut. Thes. 20.

[6]) Steph. Byz. s. v. Δονουσία.

Theseus virginem. Dubitant ipsi veterum scriptores, quaenam sit causa decessionis veluti Servius [1]) cum dicat: vel consulto vel necessitate vel monitu Mercurii. Odysseae interpolator [2]) scripserat: Οὐδ' ἀπόνητο, πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα. Cum porro aliae quoque feminae Theseo tribuerentur veluti Aegle et Hippe, non defuerunt, qui dicerent [3]), Theseum Ariadnen deseruisse, quippe cum aliam amaret. Hyginus tradidit [4]), Theseum in Dia insula reliquisse virginem dormientem, ne, si eam in patriam deportasset, sibi opprobrio esset hoc factum. Etiam Bacchus Theseo eripuisse puellam ferebatur [5]), vel minitans Theseo [6]), vel vi adhibita [7]). Nec non clam virginem Theseo a Baccho subductam esse perhibebant. [8]) Denique Minervae iussu Theseum Ariadnen reliquisse Athenasque rediisse dicebant. [9])

§ 15.

Ut iam ad Alexandrinos accedam poetas demonstremque quales hi de Ariadne fabulas exhibuerint, mihi constare videtur, inde ab his temporibus fabulam talem servavisse formam, ut perfidiose Ariadnen relictam [10]) esse dicerent. Quin haec mythi tractatio poetis gratissima esse debuerit, non est ambigendum. Finge puellam amantissimam coniugisque amore flagrantem; finge eandem perfidiose a sponso derelictam atque

1) ad Verg. Georg. I 122.

2) Odyss. XI 324.

3) Athen. XIII p. 557 A. Plut. Thes. 20. cfr. quae supra de his locis disputavi.

4) fab. 43.

5) Charito III 3, 5; Quint. Smyrn. posthom. IV 389; Appendix narrat. XII apud Westermannum: mythogr. p. 363.

6) Diod. V 51, 4.

7) Paus. X 29, 2.

8) Diod. IV 61, 5.

9) Schol. Hom. Odyss. XI 320. Egregie hanc mythi formam illustrat vas pictum apud Gerhardium: campanisch. Vasenb. tab. IV.

10) Catull. 64. 53 sqq.; Ovid. Heroid. X 3 sqq.; ars am. I 551 sqq.; met. VIII 178 sqq.; Fast. III 471 sqq.; Firm. Lact. div. inst. I 10; Paus. I 20. 3; X 29, 4; schol. Hom. Odyss. XI 325; schol. Theocr. II 46; Philostr. I 15; Charito VIII 1, 2; Alciphr. epist. III 4,10; Aristenaet. epist. II 13; Nonnus Dionys. XLVIII 265 sqq. cfr. Koehler: Die Dionysiaca des Nonnus von Panop. p. 88.

omni consolatione abiecta acerbissimo dolore et lamentatione flebili captam; iam intelleges talem personam aptissimam fuisse ad poetarum ingenium movendum. Quam ob rem inter se certasse videmus poetas, ut puellae amantissimae querellas lugubres fletumque maerentem, lamentationem et plangorem, quibus insulam, ubi relicta erat, complevisse cogitabatur, mollissimis verbis exprimerent [1]).

Sunt sane Alexandrinorum poetarum opera maximam partem deperdita; neque tamen eorum figmenta ignoramus, cum multi fuerint, qui eos imitarentur. Ut Nonnum [2]) omittam, quem Alexandrinam poesin in hac fabula enarranda secutum esse Helbigius [3]) demonstravit, ad poetas Latinos provoco, quorum eximia fuit admiratio, quam Ariadnes miseriis tribuerunt.

Non omnes huius aetatis poetas, qui fabulae occasione data mentionem fecerunt, singillatim proferam, sed quae plenius de mytho scripta sint, ea perscrutari maxime conducit.

Ac primum quidem locum praeter Ovidium, qui est ingeniosissimus omnium poetarum Latinorum, Catullus obtinet. Consentiunt viri docti Catulli illud praeclarum atque admirabile carmen — est carmen 64 — quo Pelei et Thetidis nuptiae describuntur, exemplo Alexandrinae poesis factum esse neque ullum unquam poetam Romanum Alexandrinos felicius imi-

1) Artis monumenta creberrima, quibus eadem mythi forma illustratur, collegerunt Jahnius: Archäolog. Beiträge p. 280 sqq.; Starkius: Beiträge zur antiken Denkmälerkunde p. 36; Muellerus: Denkmäler der alt. Kunst No. 417 sqq.; Helbigius: Wandgemälde der verschütt. Städte Campaniens No. 1216—1240; Mueller: Handbuch der Archäolog. (ed. III a Welckero curata) p. 484, 3 et 4.

2) Dionys. XLVII 275 sqq.

3) Untersuchungen über Campanische Wandmalerei p. 252 et 255. cfr. Koehler: Die Dionysiaka des Nonnus von Panop. p. 89; Rhode: Der Griech. Roman und seine Vorläufer p. 132. Alexandrinorum mythi tractationem etiam Sotérichum epicum secutum esse conicere licet, qui Suida s. v. Σωτήριχος testificante carmen reliquit, cui ,τὰ κατ' Ἀριάδνην' inscripsit. cfr. Rhode l. l. p. 130. Eadem de Joannis Tzetzae fabulae narratione iudicandum erit.

tatum esse [1]). Indicant enim orationis forma versuumque numeri atque ipsa totius carminis compositio Alexandrinorum exemplar. Fuit Callimachi carmen aliquod, quo usus est Catullus [2]). Quamquam quodnam Callimachi carmen expresserit poeta ignoratur a viris doctis. Hoc unum vero nemo negat, Callimachum carmine satis amplo Ariadnen celebravisse. Sine dubio fuit eiusdem coloris Callimachi carmen atque Catulli, id quod etiam Ovidius testatur, qui et ipse, cum creberrime Ariadnes fabulae mentionem fecerit, ad Callimachum videtur sese applicuisse. Non cum iis facio, qui Ovidium nisi Catulli carmine exemplo nullo usum esse existimant [3]). Erat sane dignum egregium illud Catulli carmen, quod ab Ovidio lectoribus in memoriam revocaretur [4]). Nihilominus et ipse Ovidius potius Callimachum imitatus esse videtur, quam

[1]) Haupt: opuscul. II p. 77; A. Riese: (Catull's 64stes Gedicht aus Callimachus übersetzt) Rhein. Mus. XXI p. 498 sqq.; Ribbeck: Catullus p. 16; Mommsen: Röm. Geschichte II p. 583.

[2]) Partium aequabilitas haudquaquam est concinna; modo verbosus est poeta, modo breviter ea comprehendit, quae fusius erant describenda. Callimachum vero hanc carminum inaequabilitatem non devitasse, sed studio quodam consectatum esse, cum hymni eiusdem poetae manifesto demonstrant, tum Ovidius haec de Callimacho dicens in Ibid. 59: Illius (Callimachi) ambages imitatus in Ibide dicar Oblitus moris iudiciique mei.

[3]) Hoc concedo Ovidium interdum Catulli carmen expressisse. Id factum est in fastorum libr. III v. 473 sqq. Quae Ovidius ibi versibus persecutus est (Periure ac perfide Theseu! Ille abiit: eadem crimina Bacchus habet. Nunc quoque ‚nulla viro‘ clamabo ‚femina credat‘, Nomine mutato causa relata mea est.) repetita sunt ex Ariadnes verbis apud Catullum 64, 132 sqq.: ‚Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris, Perfide, deserto liquisti in litore Theseu?‘ et 64, 143: ‚Nunc iam nulla viro iuranti femina credat, Nulla viri speret sermones esse fideles‘. Cfr. Zingerle: Ovidius und sein Verhältniss zu den Vorgängern I p. 51; Haupt: opusc. I p. 71.

[4]) Etiam Lygdamus in elegia VI 39 sqq. Catulliani carminis recordatus est:

‚Gnosia Theseae quondam periuria linguae
Flevisti ignoto sola relicta mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus
Ingrati referens impia facta viri‘.

nobilis Catullianae poesis memoriam excitavisse, praesertim cum et alibi Callimachum secutus sit [1]).

Atque si paulo altius rimamur Catulli carmine cum Ovidii crebra fabulae mentione collato Callimachei carminis compositionem magnam partem perspicimus. Complexus est Callimachus sine dubio totam Ariadnes fabulam inde ab Androgei caede usque ad Bacchi cum magno Satyrorum Baccharumque comitatu adventum.

Androgei [2]) fit mentio et apud Catullum (64, 76 sqq.: Nam perhibent olim crudeli peste coactam Androgeoneae poenas exsolvere caedis) et apud Ovidium (Heroid. X 99: Viveret Androgeos utinam). Uterque poeta Ariadne auxiliante Minotaurum interfici facit (Cat. 64, 113: Errabunda regens tenui vestigia filo; Ovid. Fast. III 462. Quae dedit ingrato fila legenda viro; Heroid. X 104: Nec tibi quae reditus monstrarent fila dedissem) [3]). Uterque Minotauri caede descripta [4]) (Cat. 64, 110 sqq.: Sic domito saevom prostravit corpore Theseus Nequiquam vanis iactantem cornua ventis; Ovid. Heroid. X 101: Nec tua mactasset nodoso stipite, Theseu, Ardua parte virum dextera parte bovem; X 106: Strataque Cretaeam belua texit humum) virginem a Theseo rapi et in Dia insula relinqui facit [5]) (Cat. 64, 52 sqq.: Namque fluentisono prospectans

[1]) In Ibide certissimum est, cum ipse profiteatur poeta v. 55 sqq. cfr. Lincke: de Callimachi vita et scriptis p. 29; Schneider: Callimachea II p. 99 sqq. et p. 279. De epistulis Acontii et Cydippae dubitant iusto iure viri docti, num ab Ovidio sint confectae; cfr. Dilthey: de Callimachi Cydippe p. 41 not. 2.

[2]) Callimachi extat fragmentum, quod ad eandem rem pertinet. cfr. Schneider: Callimachea II p. 140.

[3]) cfr. Prop. III 6, 7 (ed. Mueller): Nec sic incolumem Minois Thesea vidit, Daedalium lino cum duce rexit iter.

[4]) His simillima sunt Callimachi duo fragmenta, quae Riesius l. l. p. 506 in unum contrahenda esse opinatus est hallucinans magis quam cauti et prudentis critici partes agens. Est fragm. 249 (Schneider): θηρὸς ἐρωήσας ὀλοὸν κέρας et fragm. anonym. 389 (Schneider): πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα. cfr. Haupt opuscul. II p. 81.

[5]) cfr. Callim. fragm. 163: Ἐν Δίῃ· τὸ γὰρ ἔσκε παλαίτερον οὔνομα Νάξῳ. Prop. IV 18, 26 et III 19, 27 (Müller): Parvo dilexit spatio Minoida

litore Diae Thesea cedentem celeri cum classe tuetur; Ovid. ars am. I 527 sqq.: Gnosis in ignotis amens errabat arenis, Qua brevis aequoreis Dia feritur aquis).

Uter vero Ariadnes querellas, lamentationes, plangorem optime depinxerit, vix diiudicari potest, cum alter alterum Ariadnes miserias mollissimis modis celebrando superare videatur. Ita tamen sunt utriusque inventa comparata, ut facile ad idem exemplar revocari possint. Dormientem reliquerat Theseus Ariadnen (Cat. 64, 122: Aut ut eam devinctam lumina somno Liquerit immemori discedens pectore coniux? Ovid. Heroid. X 111: Crudeles somni, quid me tenuistis inertem? X 117: In me iurarunt somnus ventusque fidesque), quae e somno excitata flebiliter ingemiscens in tumulum ascendit, ut Theseum conspiceret[1]) (Cat. 64, 56: Quae tum primum excita somno: Ovid. Her. X 13: Excussere metus somnum: conterrita surgo; ars am. I 529: Utque erat e somno; Cat. 64, 126 sqq.: Ac tum praeruptos tristem conscendere montes, Unde aciem in pelagi vastos protenderet aestus, Tum tremuli salis adversas procurrere in undas Mollia nudatae tollentem tegmina surae. Atque haec extremis maestam dixisse querellis, Frigidulos udo singultus ore cientem: Ovid. Heroid. X 25 sqq.: Mons fuit: apparent frutices in vertice rari: . . . Ascendo: vires animus dabat, atque ita late Aequora prospectu metior alta meo e. q. s.). Vestis de pectore delapsae immemor (Cat. 64, 63 sqq.: Non flavo retinens subtilem vertice mitram, Non contecta levi velatum pectus amictu . . . . . . Sed neque tum mitrae neque tum fluitantis amictus Illa vicem curans toto ex te pectore, Theseu . . . . pendebat: Ovid. ars. am. I 529: Utque erat e somno tunica velata recincta, Nuda pedem: croceas inrelegata comas Thesea crudelem surdas clamabat ad undas) sedet virgo in scopulo (Cat. 64, 52: namque fluentisono

Theseus. Prop. I 3, 1: Qualis Thesea iacuit cedente carina Languida desertis Gnosia litoribus; Lygdami eleg. VI 39: Gnosia Theseae quondam periuria linguae Flevisti ignoto sola relicta mari. cfr. Ovid. Ib. 493; ars am. III 36 et 458.

1) Callim. fragm. 512: Ἰόζων δ᾽ ἀν᾽ ὄρος. cfr. Riese l. l. p. 507.

prospectans litore Diae; Ovid. Heroid. X 136: Haerentem scopulo, quem vaga pulsat aqua), neque aut corporis virium aut mentis suae compos Bacchae par flebiliter ingemiscit (Cat. 64, 55: Nec dum etiam sese quae visit visere credit; Ovid. Heroid. X 31: Aut vidi, aut tamquam quae me vidisse putarem; ars am. I 540: Nullus in exanimi corpore sanguis erat; Cat. 64, 60: Quem procul ex alga maestis Minois ocellis, Saxea ut effigies bacchantis, prospicit; Ovid. Heroid. X 48: Qualis ab Ogygio concita Baccha deo: Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi). Exsequiarum expertem se feris praedae relictam esse lamentatur neque habere, quo se conferat, cum insula omni cultu careat paterque suo iure iratus sit (Cat. 64, 153: Neque iniecta tumulabor mortua terra; Ovid. Heroid. X 122 sqq.: Nec positos artus unguet amica manus? Ossa superstabunt volucres inhumata marinae? Cat. 64, 152: Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque Praeda; Ovid. Heroid. X 96: Destituor rapidis praeda cibusque feris; Cat. 64, 177: Nam quo me referam? quali spe perdita nitar? Idomeneosne petam montes? Ovid. Heroid. X 49: Quid faciam? quo sola ferar? Cat. 64, 184: Praeterea nullo litus, sola insula, tecto. Nec patet egressus pelagi cingentibus undis: Nulla fugae ratio; Ovid. Heroid. X 59: Vacat insula cultu: Non hominum video, non ego facta boum. Omne latus terrae cingit mare; Cat. 64, 180: An patris auxilium sperem, quem ipsa reliqui? Ovid. Heroid. X 64: Accessus terra paterna negat). Detestatur denique calamitate oppressa Thesei in Cretam adventum[1]) (Cat. 64, 171 sqq.: Utinam ne tempore primo Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes, Indomito nec dira ferens stipendia tauro Perfidus in Creta religasset navita funem e. q. s. Ovid. Heroid. X 99 sqq.: Viveret Androgeos utinam, nec facta luisses e. q. s. Cat. 64, 154: Quaenam te genuit sola sub rupe leaena? Quod mare conceptum spumantibus expuit undis? Ovid. Heroid. X 131: Nec pater est Aegeus, nec tu Pittheïdos Aethrae Filius: auctores saxa fretumque tui). Uterque denique

1) Recte Riesius l. l. p. 506 Callimachi fragm. 555: ἀβάλε μηδ᾽ ἀβόλησαν huc spectare putat Catullumque 64, 171 sqq. Callimachi verba expressisse.

poeta Bacchum amore flagrantem cum magno Satyrorum Baccharumque comitatu adventantem facit, ut Ariadnen in matrimonium duceret[1]) (Cat. 64, 251 sqq.: At parte ex alia florens volitabat Jacchus Cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis, Te quaerens, Ariadna, tuoque incensus amore e. q. s. Ovid. ars am. I 542 sqq.: Ecce leves Satyri, praevia turba dei: Ebrius, ecce, senex pando Silenus asello Vix sedet, et pressas continet ante iubas. Dum sequitur Bacchas e. q. s. Met. VIII 176 sqq.: Desertae et multa querenti Amplexus et opem Liber tulit; ars am. III 158: Talem te Bacchus, Satyris clamantibus eheu, Sustulit in currus, Gnosi relicta, suos).

Perlustranti mihi Callimachi opera verisimile videtur esse fabulam de Ariadne in Aetiorum libro quarto enarratam fuisse. In Aetiis, quibus elegiaci generis principatum nactus est poeta, innumerabilium fabularum adiit fontes, ac si ipsis uteremur Aetiis superstitibus, magno opere miraremur fortasse, quot sententias ac locos communes poetae et Graeci et Latini inde peterent. Erant veteribus Aetiorum carmina[2]) perfectarum omnique numero elegantium elegiarum exemplar[3]).

Itaque factum est, ut multae Callimacheae poesis particulae sine carminis titulo extent sine dubio ad Aetia revocandae, quamquam in hac e fragmentis anonymis congerenda materia cautione opus est. Poetae Romani omnia religiose accurateque adumbraverunt, maximeque Catullus in carmine 64 ad Callimachi auctoris rationem sese applicuit.

Equidem ut in Calimachi Aetiis fabulam de Ariadne narratam fuisse statuam hac re potissimum adducor, quod

---

[1]) cfr. Eratosthen. catast. 5; Philostr. I 15; Schol. Odyss. XI 32; Nonnus Dionys. XLVII 265; Ptolem. nov. hist. 5 apud Westermannum mythograph. p. 191.

[2]) De forma Aetiorum et compositione et argumento cfr. Schneider: Callimachea II p. 35 sqq.; Rauch: Die Fragmente der Aitia des Callimachus p. 1 sqq.; Foerster: Der Raub der Persephone p. 76.

[3]) Quam cupide a posteritate sint lectitata quamque vehementer celebrata, Ovidii ille versus (rem. am. 381) demonstrat Homeri Achillem Cydippae Callimachi opponens. cfr. Ovid. trist. III 10, 73 et epigramma inter Priapeia XVI (in Petron. edit. a Buechelero curata).

fragmentum de Androgeo sine ullo dubio ex Ariadnes historia petitum[1]) ad Aetiorum librum IV pertinere constat[2]).

§ 16.

Priusquam huic finem faciam disquisitioni, fabulam de Glauco addam, quem mirum in modum veteres et ipsum cum Ariadne coniunxerunt.

Plures inter heroes fuisse admodum nobiles huiusce nominis notum est. Vix tamen erraverit qui de Glauco Pontio cogitet, quoniam is et nobilissimus fuit inter huius nominis heroes et a multis[3]) celebratus est. Exquisitum de hoc Glauco fabularum delectum profert Athenaeus[4]), unde patet, quam copiosa poetis Glaucum celebraturis ad manus fuerit materia. Athenaeus cum multa alia refert tum Glaucum Ariadnen adamavisse dicit[5]), cum virgo a Baccho in Dia insula Theseo eriperetur. Ibidem eum vel cum Ariadne consuevisse sed hanc ob rem a Baccho vitibus vinctum esse. Dissentiunt viri docti, quidnam causae fuerit, cur Glaucum veteres cum

---

[1]) Ceterum verisimillimum est, Callimachum uno quasi tenore totam Ariadnes fabulam tractavisse, cum poetae quoque Romani Callimachum imitati inde ab Androgei caede totam pertractent fabulam.

[2]) cfr. Schneider: Callimachea II p. 140; Rauch: Die Fragmente der Aetia des Callimachus p. 56.

[3]) Aeschylus confecit tragoediam, cui inscripsit: Γλαῦκος Πόντιος. (cfr. G. Hermann: opuscul. II p. 59 sqq.; Preller: Ausgewählte Aufsätze p. 9; Gaedechens: Glaukos der Meergott p. 163 sqq.; Rhode: Der Griech. Roman und seine Vorläufer p. 124 not. 2); atque in eundem Glaucum Pindari extitit carmen aliquod (cfr. Paus. IX 22. 7), item Euanthis epici hymnus (cfr. Athen. VII p. 296 C), item Ciceronis poema: Γλαῦκος Πόντιος ἐν τετραμέτρῳ πεποιημένον (cfr. Plut. Cic. 2). Suida teste etiam Callimachus opus confecit ad eundem heroem spectans. Recte Schneiderus: Callimachea II p. 165 Suidae testimonio fidem habendam esse iudicat, quoniam ab Aeschylo quoque idem heros celebratus est. Callimachum vero ad Aeschyli poesin libenter sese applicuisse Schneidero l. l. II p. 47 sqq. concedendum est. Reliqua veterum testimonia de Glauco collegit Gaedechens l. l. p. 26.

[4]) VII p. 296 A. usque ad p. 297 C. cfr. schol. Apoll. Rhod. Arg. I 1310; Paus. IX 22, 6; Mythogr. Vat. I 99; II 168.

[5]) VII p. 296 A. Theolyti cuiusdam Methymnaei testimonio utitur Athenaeus.

Ariadne coniungerent[1]). Equidem de Ariadnes et Glauci amore fabulam recentioris esse originis iudico atque inde ortam, quod Glaucum a Baccho devinctum esse fabulabantur. Optime disseruit de Glauco a Baccho vitibus vincto[2]) Gaedechensius l. l. p. 124 et p. 148 neque habeo quod addam. Hoc vero proferre non dubito figmentum de Ariadnes amore ex ipsa de Glauco devincto fabula ortum esse. Cum iam diu divulgata esset de Glauco devincto fabula, fuerunt, qui propterea oppressum esse heroem a Baccho dicerent, quod cum Ariadne consuevisset.

[1]) Welcker: Griech. Götterlehre III p. 150 sqq.; Gaedechens l. l. p. 173 sqq. et p. 183 sqq.

[2]) Fabula est antiquissima et optime a Gaedechensio l. l. p. 148 explicatur. Idem vir doctus p. 172 suo iure confirmat eam Aeschyleae fabulae argumentum fuisse, quem sane de Glauci et Ariadnes amore fabulam ignoravisse non est quod dicam.

VITA.

Natus sum Fredericus Guilelmus Hermannus Kanter a. d. VII. Calendas Januarias anno h. s. LIII Tschelentnigii, in vico quodam regionis Trebnicensis, patre Godofredo, matre Louise e gente Kanter, quam atroci morte mihi ereptam esse valde doleo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis imbutus a viro doctissimo Frederico Burghard, christianae legis antistite, qui optime de me est meritus, gymnasium adii Olsnense anno h. s. LXVIII, quod etiamnunc floret viro doctissimo Carolo Abicht directore. Inde cum maturitatis testimonio dimissus Vratislaviam me contuli philologicis et archaeologicis studiis operam navaturus. In civium cademicorum numerum receptus anno h. s. LXXV a viro ssimo Henrico Schroeter, penes quem tum fasces erant 5. octo semestria interfui scholis vv. ill. Bobertag, Breno, Dilthey, Elvenich, Hertz, Ludwich, Neumann, nski, Partsch, Pfeiffer, Reifferscheid, Rossbach, 6. ultz, Weinhold. Per quinque semestria sodalis fui narii regii philologici primum extraordinarii tum ordinarii. non magna cum mea utilitate per septem semestria rcitationibus archaeologicis interfui, quas moderabatur vir issimus Augustus Rossbach, qui musei archaeologici me it custodem. Denique interfui per singula semestria exertionibus philologicis et philosophicis a vv. ill. Ludwich Dilthey institutis. His viris omnibus optime de me itis gratias ago quam possum maximas, imprimis vero viris Hertz, Reifferscheid, Rossbach, qui sincero litteum amore me impleverunt atque suadendo et auxiliando dia mea auxerunt.

THESES.

1. Anaglyphis zophori in Parthenonis postico positis pepli deductionem repraesentari cum Flaschio nego.
2. Servium ad Vergil. Aen. VIII 408 haec adnotavisse puto: nam quies curriculo expulerat somnum paene nihil est; quid enim est quies nisi somnus?
3. In Cic. epist. ad Att. IV 16, 9 (Wesenb.) hanc lectionem genuinam esse duco: mihi mehercule ..... utrum per procuratores ageres an per te ipsum, ut ab isto toties et tam longe abesses. (Libri manu scripti praebent: te ipsum mutabis toties e. q. s.)
4. In Senecae controv. X 3, 8 hanc scripturam propono: hic accusatio filiae contrarias partes ac patris sequentis.
5. In eiusdem controversiae paragrapho 10 sic lego: immo mulier .... attonita quem virum patre relicto secuta fuerat patris iussu consecuta est.
6. Aeschyl. Agam. v. 1098 sq. ita emendo:

   ἦμεν κλέος σου μαντικὸν πεπυσμένοι
   γνωστῶν προφήτας δ᾽οὔτινας ματεύομεν.